JURIS ECCLESIASTICI

MAXIME PRIVATI

INSTITUTIONES

COMMODA NOVAQUE METHODO ADORNATAE

QUIBUS ET DISCIPLINA HUJUS REGNI EDOCETUR
ET DOGMATA IPSA RELIGIONIS PASSIM VINDICANTUR

AUCTORE

RAPHAELE PECORELLI

PRESBYTERO NEAPOLITANO

IN ARCHIEPISCOPALI LYCEO UTRIUSQUE JURIS ORDINARIO PROFESSORE
ET IN REGIA UNIVERSITATE SACRAE THEOLOGIAE MAGISTRO

VOLUMEN IV.

DE JUDICIIS.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA XAVERII GIORDANO
1846.

LIBER PRIMUS

DE JUDICIIS.

ANTELOQUIUM.

Judicia tertium, et ultimum sunt legum ecclesiasticarum objectum, necessarium non minus quam praestans; est enim finis omnium, quae de personarum, atque rerum juribus dicta adhuc sunt (a). Quotus enim quisque sine judiciis suo in officio et hominis, et civis continebitur? Multi quidem sunt codices; at quae in iis velut pharmacum in officinis delitescunt, aegro, et invito animo vix accipiunt improbi, armatum magis victorem formidantes, et propugnantem, quam Deum e coelo minitantem. Ergo recte monet Tullius (1) *ipsas esse leges, quae cupiunt, ut jure re-*

(a) Institutionum liber quartus, et ultimus inscribitur *de actionibus*, quo nomine etsi proprie veniat *jus persequendi* in judicio, quod sibi debetur, ibi tamen ea voce ipsum judicium Justinianus intelligit, quod nonnisi ex actione proposita exordium capit suum. Hinc triplex objectum nostrarum institutionum Ecclesiasticarum triplici Justiniani institutionum objecto respondere nemo non videt.

(1) 3.° *in Verrem.*

gantur. Profecto dubitari non potest satius esse peritiam juris postulandi, et reddendi, quam puram putam justi, atque injusti scientiam; nec nisi veram esse philosophiam judicare, promere, et exercere justitiam subdit Plinius (1), qui a vero longe non abire videtur; nam judiciis lex exigitur factis, et ex duabus propositionibus legitime praemissis, quasi ex syllogismo tertia confertur, qua certa sententia omne finitur negotium, omnis causa terminatur. Nos igitur dicturos de judiciis Ecclesiasticis *quarto volumine*, quibus ad umbilicum, Deo favente, opus qualecumque a nobis elucubratum perducere conamur, illud in duos libros partiri juvat, sicut et alia. Primus naturam, et formam judiciorum comprehendet; eorumdem materiam alter exhibebit. Amplissimum argumentum, quod digna laude commendatum videmus ab ipso jure civili; etenim judiciorum Ecclesiasticorum modus, et forma in laicorum etiam forum abiit, ac veluti in commodatum commigravit, Fleuryo testante (2), et ipso Cujacio sic confitente (3): *totus ordo judiciorum, qui ubique gentium in orbe Christiano observatur, hunc solum* (judiciorum ordinem Pontificium) *veluti fundum habet.*

---

(1) *Lib. 1. cap. 10.*
(2) *Inst. Juris Eccl. P. III. cap. 6.*
(3) *Praef. ad lib. 4. Decret.*

CAPUT PRIMUM

DE ECCLESIAE JUDICIARIA POTESTATE.

CONCLUSIO PRIMA

Potestas judiciaria vera, et proprie talis divinitus Ecclesiae concessa demonstratur, vindicaturque.

Christus, qui omnium Dominus erat, quique à Patre omne judicium acceperat, Ecclesiam ad instar Reipublicae a Republica distinctae instituit (1). Dedi ergo et potestatem, quae imperium, jurisdictionem comprehendit, et magistratus (a). Judiciariam ergo

(a) *Imperium* juro romano est potestas armata, sive jus coercendi, seu jus gladii in facinorosos, quod dicebatur *merum* fortasse, quia vehemens, summum, excellens censebatur, proindeque per se jus gladii majestaticum est, nec nisi speciali lege magistratibus concessum. *Jurisdictio* ex eodem jure est potestas jure magistratus seu officii competens causas cognoscendi, judices dandi, et sententiam exequendi sine coercitione. Verum haec, etsi modica, adjuncta fuit jurisdictioni, quao dicebatur imperium *mixtum*, aliter nulla esset, inquit Paulus in L. mandata 5. *de offic. et potest. jud. deleg.* Revera cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari nequit, et hoc modo jurisdictio, et imperium merum jure romano distinguuntur, sicut et *Notio* distinguitur ab illis; cadit enim in eos, qui causas cognoscunt, et instruunt, etsi jurisdictionem non habent, quales sunt judices pedanei, arbitri, compromissarii, auditores. Jurisdictio solet etiam distingui in imperium absolutum, quo summa intelligitur potestas principum leges ferendi etc. *L. 3. ff. de jurisd.* et in imperium mixtum, quod mediam potestatem significat jurisdictione, et mero imperio compositam; et tutores dat, ac restitutionem in integrum atque similia l. 1. et Glossa cit. tit. demum in imperium simplex scilicet potestatem cognoscendi, ac lites definiendi et causas. Sabell. Summ. §. Juris-

(1) *Confer t. 1. cap. IV. et V. et tom. 2. c. IV. et seq.*

potestatem Ecclesiae concessam fateamur, oportet, nisi pugnantia secum admittere velimus. Re quidem vera Respublica concipi non potest magistratibus destituta, cura, et imperio carens atque jurisdictione, quibus leges omnibus societatibus necessariae observentur. Eccur enim leges propriae Ecclesiae, dignitates, officia, bonaque propria, de quibus decernere non licet saeculi judicibus, nisi ei potestas sit non solum decernere, quaestiones obortas solvere, causas, de quibus inter se litigant fideles, dirimere, sed etiam cogere ad eorum, quae decreta sunt, adimpletionem, delinquentes non tantum arguere, sed etiam plecte-

---

dict. n. 3. In Ecclesia imperium, sive jus gladii, etsi non sit materiale, quia abhorret a sanguine, est tamen spirituale, tribus etiam gradibus distinctum ad instar juris non sacri juxta Doctores in cap. de offic. Ordinar., et praesertim Reiffestuel L. 1. decret. Ad cujus primum pertinet potestas excommunicandi, quae primum potestati poena capitali plectendi in c. *per venerabilem 14. Qui filii sunt legitimi*, deinde degradandi potestati juxta Glossam in cap. *quod Sedem*, tum ultimo supplicio comparatur, ut notat Inn. III. in c. *qualiter 24. de accusationibus.* Ad secundum potestas religandi, perpetuis carceribus subjiciendi, verberandi, etc. Ad tertium pertinet facultas leniter coercendi in corpore, in vincula conjiciendi ad tempus, mulctam imponendi etc. Est in Ecclesia etiam jurisdictio, etsi Patres vocabulo auctoritatis, aut potestatis eam exprimere solebant, et primus, qui nomen jurisdictionis usurpavit, fortasse videtur fuisse Greg. Mag. lib. 14. Ep. 8. ad Bonifac. Diacon. Cpolit. nomine a jure civili desumto. Haec vero distinguitur ratione actuum, quibus exercetur, et modi, quo acquiritur. Videsis quae ad rem dicta sunt altero vol. c. 5. et seqq. Adhaec est in Ecclesia *Notio*, quia ab eo, qui jurisdictionem ecclesiasticam habet, non raro mera notio committitur aut etiam nudum ministerium sine jurisdictione. *Magistratus* denique sunt in eadem Ecclesia: qui nempe juri dicundo, et assidua jurisdictione servando praesunt, ut Cujacius definivit ad tit. 2. *de orig. jur.* nam Episcopos in ea statuit Christus jurisdictione praeditos, quos vere magistratus proin agnoscere par erit.

re (a) ? Re quidem vera vi clavium regni coelorum, et potestate ligandi, atque solvendi sibi a Christo concessa, Ecclesia exercuit per Episcopos successores Apostolorum (1) jurisdictionem utique generalem, et sine restrictione, ideo coactivam, et vera forma judiciaria, non solum in foro interno conscientiae, sed etiam omnibus vinculis, quibus vel constringi, vel solvi homines requirit fidelium salus. Id maxime primum Scripturae demonstrant (2). In his enim Christus ait: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae.* Habentur ex his verbis post pater-

(a) Mirum tamen accidere non debet, quod Protestantes exemplo Lutheri, Calvini, aliorumque ejusdem furfuris haereticorum jus Principis in sacra tuentes, Ecclesiam cum Puffendorphio Rempublicam distinctam negant esse, ac statum, et in insaniam incidentes Collegium eandem dicunt, ut Mosehemius, Bohemerus, aliique, quos Petrus Giannonius sequi videtur in hist. civil. Regn. hujus Neap. lib. 2. cap. ult. tom. 1. hostis enim infestissimus contentioso Ecclesiae foro, omnem ejus potestatem in docendo, orando, suadendo, et per censuras corrigendo ponit. Judiciariam proinde potestatem, si quam illi admittant in ea, referunt ad gratiam Principum Christianorum, et quae gesta ante Costantinum habentur, ex prorogatione fidelium derivant. Attamen animum defigit nostrum quod auctores quidam nomine Catholico gloriantes forum contentiosum Ecclesiae a poenitentiali non fuisse distinctum ante saeculum XI, vel XII docere non sint veriti, uti Morinus in oper. *de poenit. administrat.* lib. 1. c. 10. et Van-Espen. I. E. U. l. 6. 3. tit. 1. Quibus et assentitur Jacob. Cothofredus ad L. 47. Cod. Thodas. *de Episcop. et Cleric.* et Cujacius in Paralit. cod. *de episcopal. audientia.* Quam tamen Morini sententiam ante sacculum VIII. contraxerunt alii.

(1) *Matth. cap. XVIII. v. 8.*

(2) *Matth. cap. XVIII. v. 15.*

nam correptionem, testes, accusator, et judex, *dic Ecclesiae*, idest praesidentibus in ea, uti Patres intelligunt, et Tridentinum docet (1). Insuper cognitio causae heic non deest; subdit namque Christus: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in Coelo*; alligare enim, aut solvere sine cognitione causae juste non potuissent. Demum et absolutio, vel condemnatio de quovis peccato habetur; dixerat enim: *Si peccaverit*, nec limites fecit peccati. Igitur omne, quod ad judicium fori externi Ecclesiae necessarium erat, Christus ei concessit. Hanc potestatem judiciariam ipsi exercuerunt Apostoli: *Ego quidem absens corpore*, inquit Paulus ad Corinth. (2) *praesens autem spiritu jam judicavi, ut praesens, eum, qui sic operatus est... Quid enim mihi de his, qui foris sunt, judicare? Nonne de his, qui foris sunt, vos judicatis, nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit, auferte malum ex vobis ipsis*. Et ex Christi verbis ad Timotheum Episcopum scribens (3) tanquam cleri inferioris Superiorem, legem judicialem statuit pro foro externo; vetat enim *adversus Presbyterum accusationem recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus*. Inde de poena in his judiciis necessaria loquitur (4), subdens *illam se in promptu habere... ex potestate, quam dedit nobis Dominus*, non ex prorogatione fidelium, vel gratia principum. Revera autem et Hymaenum, et Alexandrum in fide naufragos (5), et Corinthium incestuosum (6) poena

(1) *Sess. XXIV. cap. 3.*
(2) *1. Corinth. 3. 3.*
(3) *1. Timoth. 5. 19.*
(4) *1. Corinth. 4. 21. et alibi 2. Corinth. 10. 6.*
(5) *1. ad Timoth. l. 20.*
(6) *1. ad Corint. v. 5.*

coercuit, quem postea poena absolvit (1). Addesis ejusdem Apostoli praeceptum, ne Christiani ad laicorum tribunal controversias, si quae sint inter eos, deferant. *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos et non apud sanctos* (2)? Quod congruenter interpretatur auctor const. Apostol. (3). *Praeceptum Apostoli vetat, ne quis adeat ad judicium Gentilium, imo ne patiamini, ut saeculares Magistratus de causis vestris judicent.* Quem secuta videtur Synodus Hipponensis statuens (4) IV saeculo: *Quod Chatolicus, qui causam suam sive justam, sive injustam ad judicium alterius fidei judicis provocat, excommunicetur.* Aderat ergo his saeculis, et post persecutiones tribunal ex Apostoli praecepto, ubi fidelium controversiae agebantur.

Adhaec Traditio idem comprobat; Patres enim, actus judiciales externos observant fuisse in Ecclesia exercitos. Argumenta hujus traditiónis etsi referre supervacaneum videtur, utpote evidentissima, (nam magna ex parte jus Canonicum respicit judicia Episcoporum, jus inquirendi, corrigendi, reformandi, poenas infligendi, etc.) unius, aut alterius tamen Patrum non abs re erit sensus aperire, et praesertim S. Cypriani, qui sic se habet (5). *Nam cum statutum sit omnibus, et aequum sit pariter, ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum. . . oportet utique eos, quibus praesumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohaerentem sua subdola, ac fallaci te-*

(1) *2. ad Corinth. XI. 6.* (2) *Corinth. 6. 1.*
(3) *Lib. 2. cap. 45.* (4) *Apud Labbè*
(5) *Epist. 55. num. 10. apud Constant. col. 172.*

meritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi et accusatorem habere, et testes sui criminis possunt; illos nempe qui sunt necessarii ad verum judicium, forumque constituendum. Ipseque S. Cyprianus narrat etiam sollemne judicium adversus Privatum, et adversus Jovinum, ac Maximum, qui se illi adjunxerant ob nefanda sacrificia condemnati. Tertullianus vero praeter judicium fori sacramentalis, externum notat (1) dicens: *Coimus in coetum, et congregationem... ibidem etiam exhortationes, castigationes, et censura divina, etc.* S. Cyprianus rursus (2) narrat eumdem Privatum haereticum condemnatum à nonaginta Episcoporum sententia. Ex cujus verbis censuram ecclesiasticam, ac praesertim excommunicationem, de qua loquitur, constat fuisse actum judicialem, quem ab Ecclesia, re primum cognita, et expensa diligenter, ferri cousuevit. Insuper canonibus Apostolorum inscriptis agitur c. 73. et 14. de accusatione Episcopi, de iterata citatione, de confessione, de testium numero, et qualitate etc. Id et Theodoretus comprobat (3) agens de informi accusatione, et damnatione Eustachii Episcopi Antiocheni. Demum ex actibus Conciliorum colligitur, judiciariam methodum Ecclesiam adhibuisse in causis inquisitorum. Nicaeni Patres sententiam contra Arium non protulerunt, nisi postquam ad Synodum venit, atque eum, ejusque accusatores audierunt, et re cognita, et ipso plane convicto. Hoc et comprobatur ex relatione Ephesinae Synodi ad Celestinum Papam (4), ubi legi-

(1) *Apologetico edito ann. 202. c. 39.*
(2) *Epist. 55. num. 10. apud Constant. col. 172.*
(3) *L. 1. c. 21. H. E.*
(4) *Apud Constant. col. 1167.*

tur: *Cum autem omnibus alacriter convenientibus solus deesset concilio Nestorius* (tauquam reus, et persona necessaria) *commonuit etiam Sancta Synodus canonice per Episcopos, prima, et secunda, et tertia vocatione etc.* Ipsique actus Chalcedonensis Concilii perfectissimam exhibent ordinis judiciarii, et fori contentiosi formam, ut nullus desit dubitandi locus de argumento, quod agimus. Huc facit denique, quod Trid. statuit de judiciaria potestate, quam indicat (1) in variis actibus ejus, ad quos remittimus lectorem. Ne vero quis dubitet quin civiles etiam causae post persecutionem a magistratibus ecclesiasticis expeditae fuerint, adeat Possideum S. Augustini coevum, qui hujus vitam redigens narrat, ipsum sancte conqueri de Apostoli antea memorato praecepto; unde inediam sustinere cogebatur, ut die ac nocte diligenter, ac pie civiles causas, quae continuo ad ipsum ferebantur, ageret. Ipseque S. Augustinus idem repetit in aureis suis operibus (2). Praeterea etiam S. Ambrosium, teste eodem Augustino (3), assidua occupatione in iisdem causis detentum scimus. Addere heic non abs re erit Constitutionem nomine Constantini in calce positam Codicis Theodosini, quae adeo nobis favet, ut de argumento, quod agimus, non ambigi possit. In ea statuitur (4), ut quocumque loco lis perducta sit, uterque litigans: *judicium eligat sacrosanctae legis Antistitis illico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur.* O-

(1) *Sess. XIII. c. 1.*
(2) *In Psal. 118. Epist. 16. ad Procul. Dercat. et lib. de oper. Monachor. c. 19. atque alibi.*
(3) *L. 5. Confess. c. 3.*
(4) *Post lib. 16. de Episcop. judic.*

mnes itaque causae, quae vel praetorio jure vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminatae, perpetuo stabilitatis jure firmentur, nec liceat ulterius retractari negotium quod Episcoporum sententia deciderit (a). Hoc idem insuper lege *Sancimus, ut nemo* (1) et una ex Novellis roboratum legitur (2) ita, ut nullus dubitandi locus sit de dicta authentica constitutione. Ceterum omnes catholici communi sensu tenent Ecclesiam per Episcopos auctoritate judiciaria pollere in negotiis omnibus ad Religionem spectantibus (3) Pius VI Bulla *Auctorem fidei*, quae dirigebatur in acta Synodi Dioecesanae Pistoriensis habitae anno 1781 ab Episcopo Ricci, propositiones numero quarto damnavit, quibus doctrina argumento, quod agimus, contraria propugnabatur (4).

Atque hinc nullo negotio concluditur quam turpissime in diversa abire pseudo-Politicos. Territorium, ajunt, non habet Ecclesia, in quo jurisdictionem illa exerceat; non ergo propriam ac judiciariam formam et forum, sed audientiam habet, hoc est, arbitrium. At nonne Ecclesia jure divino habet locum in terris, in quo, salvis temporalibus populorum juribus, suam potestatem in illis exerceat? Ultro conceditur non habere Ecclesiam per se dominium temporale fundi, vel regiminis per universitatem a populo occupati, sed hoc ad essentiam jurisdictionis, et supremae potesta-

---

(a) De hac constitutione Eusebius l. 4. c. 17. vitae Costantini cujus fidelis Historiagraphus est, meminit, atque Sozomenus refert et comprobat.

(1) *L. 3. Cod. de Episcop. Audientia.*

(2) *Novella 123. c. 10. et 22.*

(3) *Confer inter alios Pey Auctoritate des deus puissances.*

(4) *Confer Concl. IX. in appendice lib. II. volum. 1. ubi propositiones excriptae habentur.*

tis ne civilis quidem sunt necessaria, uti esset in civitate ambulante ex juris naturae principiis: ita DD.

Habet tamen territorium Ecclesia ipsa, quod Pater Omnipotens dedit Christo ejus Regi, et Capiti, cum dixit: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Inde et territorium ipsum definivit Patriarchatuum, primatuum, provinciarum, dioecesum, parochiarum ab Apostolorum ipsis temporibus. Episcopi habent territorium, in quo jus dicunt, imperant, poenis coercent: etiam forum consequenter habent; est enim hoc locus, in quo jus inter litigantes dicitur, cujus vocabulum etsi non occurrat, res tamen ipsa, potestas nimirum, et locus juris reddendi non deest eis. Quamvis igitur ecclesiastica judicia *audientiae* nomine sint interdum nuncupata, id tamen argumento esse non potest, quod vera non sint judicia, sed arbritria habeantur, ut Cujacio placet, Frevetio, Van-Espenio, aliisque: *Audire* namque apud jurisconsultos idem est, ac rite cognoscere, et judicare litem (1), et auditorium saepe pro tribunali, et foro judiciario usurpatur (2). Ipseque Tribonianus, qui suo in codice usus fuit voce *Audientia*, titulo de Episcopali audientia leges inserit, quae ad judicium pertinent. Tandem judicia ex probatis solemniter ab Ecclesia exercita tam firma, ut ipsis omnes parere cogantur, arbitria non sunt dicenda, quia audientiae nomine nuncupata, nisi quis laeva mente, et bile gravis utcumque lacessere Ecclesiam conetur.

Quod deinde ad novellam, quam opponunt, Valentiniani Arianorum fautoris pertinet, in qua scilicet

(1) *L. 1. c. de lit. contest.*
(2) *L. 54. ff. de offic. ad sess.*

legitur: Episcopos, et Presbyteros forum legibus non habere, facile erit reponere, Ecclesiam non habuisse forum tunc temporis cum familia armata, apparitoribus, et lictoribus einctum, atque externa forma refulgens, quae nihil ad judicii naturam, quam tantum actor, reus, causa, Judex, et sententia constituunt, pertinent. Adhaec judicium nonne summarium, in quo pompa ministri, aliaeque sollemnitates omittuntur, verum judicium esse omnes fatentur? habuit igitur forum Ecclesia, quatenus ad naturam judicii, et verae jurisdictionis necessarium erat, quod et ex ipsius Valentiniani novella colligitur, inibi enim dicitur: *Cum inter clericos jurgium vertitur, et ipsis litigatoribus convenit, habeat Episcopus licentiam judicandi. . . quod et laicis, si consentiant, auctoritas nostra permittit.* Demum ipse Valentinianus in aliis causis forum denegans Episcopis, subdit: *praeter religionem posse cognoscere etc.* Nec praetereundum, quod Ambrosius ei refragatus sit (1), et Constitutionibus Impp. priorum, et posteriorum judiciaria potestas sit confirmata Ecclesiae, ut deinceps videbitur.

Quod autem spectat ad Van-Espenium, qui primitus forum internum, seu poenitentiale non esse plane a foro externo, et forensi separatum dixit, nec adversus sceleratos tunc temporis procedi, nisi cum respectu ad forum poenitentiale; nihil facessit adversus argumentum, quod propugnamus: nam quamvis Ecclesia poenas non infligebat, nisi cum quodam respectu ad forum poenitentiale, hoc tamen duplex erat, internum, et sacramentale unum; canonicum alterum, in quo poenitentia publica imponebatur non so-

(1) *P. III. I. 2. U. tit. XII. num. 11.*

lum iis, qui se accusabant, et poenitentiae se subjiciebant ab Episcopo, vel Poenitentiario impositae, sed etiam iis, qui ab aliis accusati, et in judicio ecclesiastico legitime, ac juridice convicti essent, quo casu verum dabatur forum contentiosum, ut ex iis, quae diximus, patet.

CONCLUSIO SECUNDA

Quibus in causis Ecclesia jurisdictionem exerceat judiciariam, aperitur, et ostenditur (a).

Et primum omnium rerum, quae ad religionem pertinent, omne judicium unius esse Ecclesiae, nulla est, et nulla unquam fuit inter catholicos controversia. Nam tota haec jurisdictio, et potestas uni Ecclesiae tamquam Reipublicae indipendenti speciatim a Christo data fuit; huic enim tantum ipse clavium contulit potestatem; hujusque unius esse voluit curare domum et regnum suum, et quae ad res sacras, aut divinas pertinent. Perfecta Respublica est Ecclesia; ei proinde non possunt celerarum rerumpublicarum jura, in res scilicet, et personas suas denegari, quippe ad se pertinentes, ut his, qui sub ejus imperio sunt, potestate ipsa praeat. Hinc duplicis naturae agnosci debet potestas Ecclesiae mere spiritualis una, temporalis altera, quippe quae versatur etiam circa negotia temporalia Ecclesiarum, et clericorum: illa a Christo Ecclesiae nominatim data est, nec nisi a Christo eam

(a) De origine, statu primaevo, progressu, et vario fato jurisdictionis ecclesiasticae adiri potest Clariss. Gagliardi lib. 3. tit. 1. 2. et 3. Inst. 9. 1. ubi erudite etiam de illis argumenta exhibet.

acceptam habere potuit Ecclesia: haec eo jure ad eandem pertinet, quod ipsimet cum ceteris rebuspublicis commune est. Unde nullas leges Christus ipse separatim dedit, nec necesse erat dare de eadem potestate, in qua immunitas personalis, et realis fundatur, forique ecclesiastici privilegium habetur. Haec tamen quia fuse ac distincte egimus, heic immorari par non esse pro nostra institutione censemus (a).

CONCLUSIO TERTIA

Judiciorum natura excutitur, atque eorumdem species distinguuntur.

Judicia hic sunt: legitima sive ordinata causae inter actorem, et reum controversae per judicem facta discussio, et definitio (b).

(a) Quid jurisdictio, ejusque species, jam enucleatum habetur, quantum est opus Tom. alter. c. V. et seqq. prim. lib.

(b) *Legitima* nimirum facta juxta procedendi ordinem, qui dicitur judiciarius, et *processus* a procedendo, nam per illum ad sententiam proceditur. *Causae*, a casu, quo venit, et in controversiam ponitur. *Discussio*, seu *disceptatio*; non enim est mera sententia, sed tota causae tractatio; et *definitio*, quia discussione tantum non completur judicium. Hinc DD. hujus initium distinguunt a fine, disceptationem a sententia. Insuper adnotare juvat, quod judicium 1.° differt a *lite*, quae est ipsa controversia super aliquo jure; 2.° a *causa* quae est controversia, quae in Judicio tractatur; 3.° ab *instantia*, quae est litis motae exercitatio inter certum tempus, quo in aliquo tribunali pendet, absolvenda; quo tempore clapso instantia dicitur perempta, et ipsa exercitatio, ac tela judiciaria incaepta frustratoria appellatur, ita tamen ut pars suum jus, si velit, de novo debet in judicium deducere, novamque facere instantiam. Hinc judicium distinguitur *primae instantiae*, et *secundae instantiae*; illud ab immediato judice, hoc a judice mediato per appellationem ei delatam definitur. Differt

Dividitur judicium 1.° a causa in ecclesiasticum, et seculare, prout nempe causa agitur coram judice seculari, vel ecclesiastico (a). Hic autem vel est Ordinarius h. e. Episcopus, aut qui jure suo ecclesiastica fruitur jurisdictione (b), aut Legatus Sedis Apostolicae, qui ipsi Ordinario comparatur (1), vel est delegatus, cui nempe mandata est jurisdictio (c).

Addunt DD. judicium mixtum (2) ex utroque ex. gr. de pensione ecclesiastica, vel si clerici apud judicem ecclesiasticum de re temporali, puta solvendis debitis conveniri possent. 2.° a causa materiali dividitur judicium in *petitorium*, et *possessorium*, in illo de re, vel jure tractatur; in hoc de possessione, vel quasi possessione rei, vel juris acquirenda, retinenda, aut recuperanda; 3.° ex fine aliud est civile, quo

---

denique judicium a quaestione, a re scilicet controversa, quae in judicium deduci potest: nam si judicium dictum sit, dicitur causa. Quaestio vero duplex est *facti*, quando de facto, aut ejus circumstantiis quaeritur, *juris*, si supposito, quod de facto constet, circa idem quid jura statuant, quaeritur.

(a) Distinguunt alii aliter tale judicium, nempe in spirituale, et profanum, prout de re spirituali agitur ex. gr. de beneficiis, haeresi, etc. aut de re profana ex. gr. de successionibus, et contractibus. Alii demum aliud temporale appellant, in quo de temporali agitur, atque est, cum clerici, iique omnes, qui eo jure censentur, apud ecclesiasticos judices conveniuntur, ubi scilicet *fori privilegium* obtinet; aliud spirituale, quod circa res, aut jura mere spiritualia versatur.

(b) Causis exceptis, quae solius Rom. Sedis judicio fuerunt reservatae, quaeque utpote gravioris momenti majores dictae sunt. Confer concl. VI. et VII. c. 3. l. 1. 2. alterius volum. pag. 284. et seqq.

(c) Confer c. XII. de jurisdictione delegata pag. 204. praeced. volum.

(1) *C. Legatos 2. de offic. leg. in 6.*

(2) *Ex c. 2. de jud.*

actor, vel accusator privatam utilitatem suam respicit, etsi ex delicto causa descendat ex. gr. ut mulcta sibi applicetur, vel res ablata restituatur, vel id, quod debetur sibi ex contractu, habeatur, et subdividitur in reale, et personale ex actione, quae agitur, reali, vel personali (a). Aliud est judicium criminale, quod vindictam publicam, et poenam respicit, et dicitur mixtum, si tum ad *interesse* proprium, et privatum, tum ad publicam vindictam instituitur; 4.° ratione rei vel contradictorium est, in quo reus citationi obsequens, et actori contradicens suas exhibet defensiones, vel est contumaciale, in quo reus debite citatus, coram judice non comparet; 5.° *a causa formali* judicium appellatur *Ordinarium*, sive solemne, et plenarium, illud nempe, quo servata juris forma, et solemnibus litigatur, ita ut uno, aut altero neglecto, nullum ipsum reddatur judicium, vel dicitur (1) summarium, quo proceditur simpliciter, et de plano, levato velo, ut ait jus (2), quippe in eo, quae juris naturalis sunt, aut gentium, tantum servantur (b). Summariis-

---

(a) Judicium civile dicitur *universale*, si in eo quantitas rei petitae spectatur; jus enim universum petitur ex. gr. haereditas, beneficium: *generale* si plura petuntur, non jus universum, ut in actione pro *socio*, *de negotiis gestis*; sic tamen ut unum non sit consequens alterius, sed singula principaliter, et seorsim tractentur; *commune* quando de *communi dividundo*, *finium regundorum*, *familiae herciscundae*; *speciale* sive singulare, ubi aliquid specifice, et singulariter petitur.

(b) Judicium semper apud gentes servatum est, illud nempe quo actor actionem suam probet, et reus contra actorem se tueatur. Quod vero probationes, vel defensiones hujusmodi nonnisi hoc vel illo solemni modo fiant, id peculiares gentes, et praesertim Romana, uti notavimus, induxerunt, sive ut veritas facilius constaret, sive ut fraudibus via occluderetur.

(1) *L. prolatam Q. C. de sententiis etc.*

(2) *5. C. de naufragiis.*

simum denique nuncupatur, quod uti genus complectitur judicium exccutivum, uti species pcculiarem formam habet, et dicitur judicium, in quo ob periculum tumultus, rixarum, aliorumque gravium malorum, re breviter cognita, id agitur, ut status, quo paulo ante contentionem rcs erat, jussu judicis conservetur, donec quae altioris indaginis sunt, accurate cognoscantur.

Causae, quae celeriter finiri debent, judicio summario expediuntur, quod non a voluntate judicis, vel litigantium, sed definiri debeat vel a jure canonico ex *clement. 2. dispendiosa de judiciis:* vulgo tales existimantur causae beneficiorum, matrimoniorum, decimarum, usurarum. At sententia Gagliardi est hanc Clementinam usu non receptam fuisse, immo et contraria consuetudine abrogatam, utpoto magni momenti praedictae causae a judicibus recte censentur, et natura sua postulant probationes. Vel definiri debent a civili jure, et permultae sunt, ut causae alimentorum, possessionis bonorum; etc. vel ab homine sunt dijudicandae sive a suprema potestate, vel a natura causarum, in quibus nempe actionem peremptura dilatio est, et quoties res urget, ut causa cito expediatur, ex. gr. si res tempore peritura sit. At si aliqua subsit de jure, vel de facto dubitatio, tum ordinarium judicium necessarium est, ut veritas cognoscatur. Verum si nec de jure, nec de facto aliquis relictus est ambigendi locus, judicium tum erit exequutivum, et sine ulla mora, seu ullo dato termino, actoris petitioni locus datur, uti est in causis instrumentorum, in obligationibus, quae litteris ex. gr. cambii, vel penes acta contrahuntur.

Observandum manet quod causae judicio summario definiendae possunt etiam expediri judicio ordinario, dummodo partes litigantes non contradicant. At si instante solum actore et reo repugnante id fieret, jure canonico sententia esset nulla Card. de Luca 3. decis. *de judiciis* n. 12. et 13.

CAPUT II.

DE PERSONIS JUDICIUM PRINCIPALITER CONSTITUENTIBUS.

MONITUM.

Judicia sunt disceptationes, quae fiunt principaliter ex parte actoris, et rei apud judicem litium finiendarum causa, ait Cujacius (1). Accessorie autem dantur in judiciis aliae quoque personae, quae episcopalis curiae administros constituunt, et praeter Officialem seu Vicarium, de quo dictum fuit (2), praecipui sunt Adsessor, Advocati, Procuratores, Advocatus Fiscalis, et Scribae seu Graphiarii, qui omnes ad judicium juvandum pertinent vel consulendo, vel acta conscribendo, vel quod judex imperat, exequendo. Igitur postquam de personis judicis, actoris, et rei actum erit, de reliquis potiora dicemus.

CONCLUSIO PRIMA

Judicum natura, distinctio, et munia traduntur, quique in judices eligi vetantur, exponitur.

Judex quasi jus dicens populo, sive quod jure disceptat, persona est publica auctoritate constituta ad lites dirimendas, ut secundum leges, et consuetudines locorum, atque ordinem ab his praescriptum cognoscat, judicet, et judicatum exequatur (a). Judices

---

(a) Quamvis sic comprehendi videtur natura laicorum, et ecclesiasticorum judicum; objecta tamen judiciorum, uti antea nota-

(1) *L. III. Cedo. Justin. tom. 1. de judiciis.*

(2) *Vol. altero lib. II. cap. XIII. concl. I.*

vero instructi sint, oportet, jurisdictione, quae in eos a Principibus transmissa officium *nobile*, et *mercenarium* eorumdem constituit, quod est parvum *imperium* (1). Nobili officio vel ad implorationem partis actionem non habentis procedit: ex. gr. si pars litigans petit advocatum, minor laesus restitutionem in integrum, filius alimenta a Patre, condemnatus restitutionem ob errorem facti; vel motu proprio quidquam facit ex. gr. inquirendo in crimina. Hoc nobili officio non solum jura meri imperii exercentur, quae bonum publicum respiciunt, sed etiam *mixti*, quod ad privatorum bona refertur. *Mercenarium* officium ex quo tenetur partes litigantes audire, rationes ponderare, ut jus dicat, ad quod ex quasi contractu obligatur, est illud quod actioni deservit, aut cujus vi ad instantiam partis actionem proprie dictam proponentis facit ea, quae juris sunt; non enim judex se immiscet litibus non imploratus, nisi id bonum exposcat publicum (a). Distinguitur alter *ordinarius* Judex, scilicet a Principe institutus cum jurisdictione certo loco concessa, sive territorio (2): alter *delegatus*; cui nempe ab ipso principe committitur cognitio ali-

tum fuit, indistincte eis convenire non possunt; et ita, ut laico nullo modo nec principaliter, nec incidenter conveniat causas ecclesiasticas judicare cap. 2. *decernimus de judiciis*, et alibi; nec ut negligenti Judici ecclesiastico suppleat. c. *Qualiter et quando ibidem.*

(a) Cum ex constitutione Diocletiani magistratibus ipsis judicare datum fuit, usus oblanguit dandi judices, qui de facto cognoscerent, et judicarent, non vero judicatum exequerentur; hinc judex, et jurisdictio aeque late patere coeperunt, ipsique judices et magistratus dicti sunt, quo spectat titulus c. *de jurisdictione omnium judicum.*

(1) *C. si diligenti de foro competenti.*
(2) *L. More major.*

cujus causae (1) (a). His additur Compromissarius judex, qui nimirum a partibus eligitur, vel voluntarie, vel necessaria dispositione alicujus statuti, ut per compromissum decidat. Hic dicitur etiam Arbiter, de quo mox est dicendi locus(2)(b). Quum vero fuerint, ait Augustinus, leges institutae et firmatae, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. Nihil inde 1.° ex arbitrio, et proprio sensu pronuntiabit, nisi a juris rigore aequitas suadebit verba legis flectere, ut legislatoris voluntatem custodiat (3). 2.° In causis civilibus judicabit secundum probabiliora; nam Innocentius XI contrarium damnavit (4). Si vero aequalis ex utraque parte probabilitas sit, aequaliter, si divisibilis res sit, dividet; secus transactionem suadebit, nisi pro una parte stet possessio, aut aliud juris principium. In criminalibus tamen reo fa-

---

(a) De judicibus ordinariis, et delegatis, vide quae dicta sunt altero vol. I. 1. c. 4. et seqq. et c. XII. et seq. Observandum tamen hic restat, quod si principis rescriptum ad judicem non ordinarium dirigatur, causa ei delegata intelligitur, a judice competente avocata, impediens appellationem a sententia lata sine principis venia: si vero committitur tribunali sive judici competenti, ut summarie judicet, rescriptum non delegat, sed sollicitat jurisdictionem ordinariam. Adhaec si ut suspectum ejurare quis vellet judicem delegatum, hoc ante litis contestationem ei tantum datur, nisi validis momentis firmata suspicio post litis contestationem orta esset c. in litt. 9. *de offic. deleg.* atque deleganti suspicionis causa exhibeatur c. *Si contra* eod. in IV.

(b) Arbitri improprie dicuntur judices; nam privatorum consensus ex dictis judicem facere non potest L. 3. cap. *de judiciis*. Appellantur judices propter adfinitatem, quam cum veris judicibus habent, eo quod partibus judicis fungantur, et arbitria ad similitudinem judiciorum reducta sint l. XIV c. cit.

(1) *C. Pastoralis de off. deleg. L. 1.*

(2) *Lib. 1. de exception. Arb.*

(3) *L. 18. de legibus.*

(4) *Die 2. Martii 1679.*

vere debet (a). 3.° In causa propria numquam erit judex, nisi in casibus a jure expressis, vel summus sit Princeps, et causa agatur inter ipsum, et subditos suos; nullum enim alium judicem habet. 4.° Quae sunt juris, et consuetudinis, supplere tenetur, et a partibus omissa (1); debet enim justitiam administrare secundum jura, et consuetudines ex. gr. examinare libellum, et ineptum rejicere, deferre juramentum calumniae, ubi opus est, dilationes concedere, testes non legales repellere, exceptiones praescriptionis Senatus consulti Vellejani suggerere etc. non autem quae sunt facti, puta: producere testes, vel alias probationes, exceptiones opponere, quae non sunt juris etc. nam ista supplendo se redderet de studio partium suspectum; dummodo factum non sit notorium, aut ex actis non reluceat, vel de periculo animae, vel de bono publico, aut causa pia non agatur. 5.° Arbiter cum sit justi et acqui, scientia pollere debet juris civilis, et canonici, uti Fagnanus, Reiffenstuel, et alii notant: *Legista sine canonibus parum valet*: *Canonista sine legibus nihil*. Imo expertus et practicus causarum sit, oportet, Deo jubente (2): *noli pergere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates*: *quia solus judex sapiens judicabit populum* (b). Etsi plu-

---

(a) Quid de reo probato, quem privatim judex scit esse innocentem, ad quid teneatur judex sententiam injustam ferens, vel munera accipiens, vide S. Ligorium lib. 4. dub. 2. art. 4. num. 208. 214. 216.

(b) Cardinalis de Lugo t. 2. disp. 37. cum aliis docet male judicantes culpabili ignorantia praeter peccatum teneri in conscientia ad damna parti laesae illata vel quoad substantiam litis, vel quoad expensas superfluas. Navarra, Bonacina, et alii addunt

(2) *Text. et DD. in l. un. c. ut quae desunt Advocat.*

(3) *Eccl. c. 10. v. 1.*

ra sint, quae judices continent in exercitio sui officii, quae pro nostra instituti ratione par non erit enumerare, juvat tamen verba Boetii illis excribere: *Adversamini otio, colite virtutes, ad rectas spes animum sublevate, preces ad excelsa porrigite. Deus dabit vobis consilia*, simulque eisdem illud in memoriam revocare supervacaneum non putamus quod sit judicibus prohibitum jure non solum humano (1), sed et divino, dona et munera accipere; ait enim Deus (2): *Non accipies munera, quae etiam excoecant sapientes, et subvertunt verba justorum*: *Xenia et dona excoecant oculos judicum*: adhaec laude dignum dicit (3) *qui munera super innocentem non accepit.*

Tandem de iis, qui judices esse prohibentur vel a natura, vel a jure, refert nostra dicere. Et primum natura vetantur Surdi, Muti, Furiosi, Mentecapti, Impuberes (4). Minores jure canonico vigesimo anno expleto judices esse possunt, nisi partium consensu eligatur; qui annum istum non attigerit, decimum octavum ta-

---

teneri judices ad damna, et expensas ob judicium sine justa causa notabiliter dilatum; vel negligentia, vel cavillis, argutiis, captionumvo pedicis, litesvo litibus implicando, quos sic Martialis castigat.

Lis te bis decimae numerantem frigora brumae
Conterit una tribus, Gargiliane, foris.
Ah miser, et demens! viginti litigat annis
Quisnam, cui vinci, Gargiliane, licet.

Hoc tamen in foro conscientiae.

(1) *C. 11. de rescription. in c. lib. 3. de L. Jul. repetund.*
(2) *Exod. c. 23. Eccl. c. 20. 31.*
(3) *Psal. 14.*
(4) *L. 12. de Jud. l. 2. 32. de R. C. Videsis etiam Gonzalez ad c. 13. de rescript.*

men compleverit (1). Judices agere nequeunt foeminae cum sint jurisdictionis incapaces (2) (a). Adhaec infames (3) ob crimen aliquod damnati, et famosi, qui admiserunt notorium scelus (4), illiterati (5), demum haeretici, schismatici, excommunicati, et judicis officium suscipere, et susceptum exercere prohibentur (6) (b).

CONCLUSIO SECUNDA

Variae Arbitrorum species enumerantur, de iis, qui in arbitros eligi possint, vel non possint, deque officiis, et potestate eorumdem pertractatur.

Arbiter stricte sumptus, et prout judici opponitur, est vir bonus, qui ex dispositione juris, vel conventione partium constituitur, ut supra rem controversam suum judicium proferat, cui partes stare debent. Hinc duplicis generis dantur Arbitri *necessarii*, qui

---

(a) Reginis exceptis, ubi consuetudo invaluit, aut lex, ut jus non vetantur dicere. Idem dic de Abbatissis vel ex consuetudine, vel ex privilegio jurisdictionem in suas canonicas, sanctimoniales exercentibus, et in clericos sibi subjectos, quos suspendere valent ab officio, et beneficio c. 12. *de major. et obedient.* non vera suspensione, quae a virtute clavium nunquam data foeminis descendit; sed simplici prohibitione celebrandi divina, fructuumque subtractione; unde nec excomunicare possunt. Cupersanenses Abbatissae hoc fruebantur privilegio in nostro regno.

(b) Observandum quod excomunicatus jurisdictione non privatur, nisi denunciatus, vel publicus sit percussor clerici ex Bulla Martini V *Ad evitanda.*

(1) *C. 41. de offic. et potest. Sud. deleg.*
(2) *L. 11. de Res. 9.*
(3) *C. 1. et 11. c. 13. q. 7.*
(4) *L. 4. et 6. c. ad leg. Jul.*
(5) *C. 4. q. VII. caus. 3.*
(6) *C. 24. de sent. et re jud.*

ex praescripto legis, Principis, vel judicis constituuntur (1) et arbitri *juris* dicuntur, habentque jurisdictionem quasi ordinariam; ita ut appellari ab eorum sententia possit (a), et *Compromissarii* a compromisso seu conventione partium, dicti et *voluntarii*, qui arbitri *recepti* sive adprobati a partibus sunt (b). Horum iterum duae sunt species. Alii simpliciter *Arbitri* vocantur, in quos ita seu expresse, seu tacite compromissum est, ut in causa sibi commissa, servato ordine juris, ac judicii forma procedere, et pronunciare debeant. Alii vocantur *Arbitratores*, in quos a partibus ita compromittitur, ut sine juris ordine, seu forma judicii non observata causam cognoscant, examinent, et de illa statuant, prout ipsis justum, et aequum videbitur (c). Distinguuntur Ar-

(a) Casus, ex quibus constitui debent arbitri juris, sunt maxime sequentes. 1.° In causa suspicionis judici objectao cap. 29. *de off. deleg.* et c. 4. et 11. eod. 2.° Si diversi judices super revocatione literarum Apostolicarum discordent. c. 14. *de rescr.* 3.° Si Episcopus cum clero sibi subjecto controversiam habet c. 46. q. 1. caus. 11. 4.° Si supremi principes inter se contendant, et transactione res componi nequeat. 5.° Si extet statutum in aliquo loco, ut super controversiis inter haeredes ortis compromittatur in arbitros.

(b) Compromissum est conventio, qua uterque litigantium promittit se stare sententiae, quam electus arbiter tulerit. Promissio ista jure civili et stipulatione, et nudo pacto fieri consuevit l. 11. *de receptis qui arbitrium*: addita quoque poena pecuniaria, qua fidem suam compromittentes vinculo firmiori adstringant. Jure decretalium poena compromisso addi potest, et jusjurandum c. 2. et 9. *de Arbitris*. Compromissionis formula exacte servanda est, nam arbitria stricti juris sunt, quia arbitri actus non ex jurisdictione, sed ex conventione partium procedunt, et quamvis sint judiciales, non tamen sunt jurisdictionales; quidquid inde contra formulam compromissi fit, nulliter fit.

(c) Arbitramentum seu judicium Arbitratoris propter laesionem

(1) *L. 3. §. de receptis, qui arbitr. recup.*

bitri juris a Compromissariis 1.° quia illi compelli possunt ad munus Arbitri suscipiendum, non ita compromissarii, licet hi si semel libere id muneris susceperint, teneantur exequi (1), nisi justa superveniens causa excuset: ex. gr. adversa valetudo, iter necessarium, inimicitiae inter partes ex arbitrio ortae, si alium arbitrum adierint etc. 2.° Arbitri juris omnia possunt, quae veri judices, et quae necessaria sunt ad causae decisionem: non ita arbitri voluntarii; a partibus enim jurisdictionem non accipiunt. 3.° Ab illis appellari potest, uti dictum fuit; ab his non potest, quia partes se sponte obligarunt stare eorumdem sententiae (2), quae a jurisconsultis arbitrium dicitur, et usu fori *laudum* audit (a). Attamen si poena adjecta a compromissario fuit in eum, qui non paret arbitrio, soluta poena, recedere ille potest a *laudo*, nisi addita sit clausula: rato manente compromisso, vel nisi Arbitri sententia esset homologata (b). In arbitros potest compromittere, qui potest transigere; qui enim compromittit, quodammodo transigit; nimirum 1.°

---

enormem, quam pars parata est probare, ad arbitrium boni viri seu judicis reduci potest ad aequitatem juris. Distinguitur autem Arbitrator a Mediatore seu amicabili *compositore*, quia hic potius agit vices consiliarii, quam judicis; proinde decisioni illius partes non tenentur stare, et contra ille non contrahit obligationem interponendi arbitrium L. 13. *de Arb.* Ast ubi Arbitratores semel susceperint arbitrandi officium, partes tenentur eorum arbitramento stare.

(a) Laudare sumebatur lapsa latinitate pro eo quod est judicare; hinc et *laudum* pro judicio, aut sententia Arbitri usurpatum.

(b) Sententia Arbitri dicitur homologata, si inter decem dies a partibus expresse, vel tacite sit adprobata.

(1) *L. 3. de receptis, qui arbitr. recup.*

(2) *C. 11. de offic. del. in 6. et L. 1. c. de Arbitris.*

compromittere potest, qui rem alienare, vel suo juri renuntiare queat, quod est posse transigere (1) (a). 2.° Omnes, qui judices esse non prohibentur, ferme in arbitros ex partium compromisso eligi possunt, nisi quod jure civili etiam libertinos, et infames in arbitros eligi fas sit (2) (b), 3.° filius in causa patris (3), 4.° pupillus (4), 5.° laicus in causa ecclesiastica, nisi munitus sit privilegio Apostolico, vel junctim cum clerico assumatur, et accedat auctoritas Judicis Ecclesiastici (5), in judicem ordinarium jure civili compromitti non potest, bene tamen in delegatum (6). De jure canonico tam in ordinarium, quam in delegatum (7), in religiosum etiam, si id monaste-

(b) Hinc ad causas omnes, super quibus non potest transigi, non possunt eligi Arbitri; at ex his excipitur 1.° Causa matrimonialis, cum agitur de ejus valore; non enim arbitrio suo licet compromittentibus matrimonio abire c. 9. *de integr. rest.* et Trident. sess. 24. can. 12. *de sacram. matr.* 2.° Causa status scilicet ingenuitatis, libertatis l. 34. ff. *de recept.* vel criminalis, si talis sit, ut in ea non sit licitum agere tantum de civili. L. 23. *de arbitro.* 3.° Causa beneficialis, ne sine canonica institutione via aperiatur ad beneficia contra regulas l. juris in 6. 4.° Causa exemptionis, ne jus eximentis per arbitrorum sententiam laedatur ex facto exempti. c. 5. *de arbitris.* 5.° Causa decisa per certam sententiam, quia compromissum, sicut transactio fieri debet super causam dubiam c. 11. cod. 6.° Causa in integrum restitutionis, nisi incidenter tractetur c. 9. *de integr. rest.* 7.° Causae, in quibus agitur de rebus ad communitatem spectantibus, ne pactis privatorum damnum inferatur bono publico. Molina tr. 5. D. 40.

(c) Foemina Arbitratrix esse potest; insuper obligantur a juramento qui in arbitratricem Foeminam cum juramento elegerunt; quippe tale juramentum non est vinculum iniquitatis.

(1) *Res L. 4. de praediis minor.*
(2) *L. 7. de receptis qui arbitrium.*
(3) *L. 6. §. eod.*
(4) *L. 9. de Arbitris.*
(5) *C. 8. et 9. eod.*
(6) *L. 9. §. eod.*
(7) *C. 25. c. 16. q. 1.*

rii utilitas exposcat (1). Nemo in causa propria, sicut nec judex, ita nec Arbitrer esse potest. Ceterum Arbitri possunt eligi unus, vel plures; pares, vel impares, qui melius eliguntur per majorem partem votorum. Quod si in unum, qui ex dictis arbiter esse nequit, compromissum sit, simulque in alterum, qui arbiter esse potest, etiam hujus sententia non valet, nisi fuerit compromissum in solidum in duos. Cum itaque plures esse possint arbitri, quid juris circa pluralitatem eorum, opus est dicere. Et re quidem vera 1.° omnes conjunctim judicare debent, nisi aliter cautum sit (2). At jure canonico si unus citatus, nec impeditus adesse nolit, praesentes rem controversam finiunt (3). 2.° Si duo arbitri sint constituti, et in judicando dissentiant, vel designatus in compromisso est tertius, et hic sumitur, vel non designatus, et compromissum solvitur (4). Attamen integrum est tertium non nominatum sumere, qui litem finiat, dummodo litigantes non contradicant; quod juris canonici disciplinae consentaneum videtur (5). 3.° Si ex pluribus arbitris omnes discordent, et pronuntiatum alicujus contineatur in pronuntiato alterius, tenet sententia, quae continetur in alia. Cum unus in XV, alius in X, tertius in V pronuntiat, illius, qui dixit de summa minori, cum in illa omnes concordes existant, sententia efficax censetur (6). De officio praeterea arbitri, et potestate observandum quod 1.° arbitrium da-

---

(1) *C. 7. et 18. de Arbitris.*
(2) *L. 10. et 20. §. de recept. Arb.*
(3) *C. 2. de Arbit. in 6.*
(4) *L. 19. Si in duos. §. de recept.*
(5) *C. 16. de Appell.*
(6) *C. 1. de Arbitr. in 6. 4. 27. §. de recept.*

ri debet super quibus est compromissum (1); potest tamen arbitrium dari etiam de eis, quae necessario, et intrinsece sunt connexa cum causa principali: uti de exceptionibus tam dilatoriis, quam peremptoriis; ad defensionem enim excipientis, et intentionem actoris elidendam ab intrinseco ordinatur; item de fructibus rei, de qua arbitrium fertur. 2.° Debet condemnare in expensas et sumptus litis, ac diem solutionis assignare (2). 3.° Hinc potest concedere reconventionem, nisi arbitrer sit juris, vel expressum sit in compromisso. Debet vero arbiter arbitrium ferre loco, in quem compromissum fuit (3), die non feriato (4), tempore convento, nisi litigantes nullum tempus definiverint, vel ejus prorogandi arbitris dederint potestatem, vel arbitri jurent sibi nondum liquere (5) atque id est partibus praesentibus publicandum; exercet enim actus judiciales (6), nisi aliud consuetudine sit receptum, alias non valebit. Insuper semel pronuntiatum laudum non mutet (7). De effectu dein arbitrii dicturi praemittimus arbitrium voluntarium, vim et exitum non habere, nisi praesto sit auctoritas Magistratus, cujus imperio executio arbitrii perfici potest. At 1.° Si partes in sententiam ab Arbitro latam expresse (quod jure civili (8) tantum per subscriptionem, jure canonico etiam per aliud clarum signum) vel tacite (quod fit cum partes intra decem dies non contradicunt) consenserunt, tunc pos-

(1) *C. 6. de Arbitr. et L. 52. §. eod.*
(2) *L. 21. et 22. §. eod.*
(3) *L. 27. Si Arbiter. §. de receptis.*
(4) *L. 2. et 7. eod.*
(5) *L. 14. et 30. §. eod.*
(6) *L. 32. §. eod.*
(7) *L. 19. et 20. §. eod.*
(8) *L. 5. c. de arbitris.*

sessori, si pro illo lata est sententia, datur exceptio; actori vero, si pro ipso lata est, datur actio in factum, qua judex ordinarius monetur, ut exequatur sententiam non aliter ac si ab ipso esset lata, et in rem judicatam transisset (1). Sententia vero tacite, vel expresse ratificata tunc dicitur homologata. 2.° Si inter partes expresse convenit, quod velint arbitrio stare, qualecumque sit illud; tunc non est liberum uni parti, altera reclamante, ab illo recedere, quia hac ratione discrimini se commiserunt, sicut in sorte (2). Si autem se non obligarunt, sed simpliciter sententiae se stare dixerunt, tunc is, qui se laesum putat, usu passim receptum est, ut intra decem dies reclamare possit, ut sententia arbitrio boni viri, idest ordinarii judicis ad aequitatem reducatur. 3.° Parti laesae quamvis a sententia arbitri homologata nec appellatio, nec reductio ad arbitrium boni viri concedatur (3), si tamen manifesta est ejus iniquitas, ei convenit exceptio doli, falsitatis, metus, erroris (4); omnibus enim transactionis speciebus haec opponi possunt (5), et quidem in perpetuum. 4.° Sententia notorie injusta, legibus adversa, vel dolo edita vim non habet, etsi homologata, ut si arbiter simoniacum quidpiam definit, et partibus imponit (6), si in detrimentum Ecclesiae aliquid praescribit ex. gr. si decimas in dotem dare jubet (7). 5.° Acta coram arbitro in eadem causa, et inter eosdem compromittentes in quolibet judicio vim probandi retinent (8).

Cuilibet potestati, ut rite se exerat, respondere debet

(1) *L. 6. cit.*
(2) *Ita Molin. tr. 5. disp. 30.*
(3) *L. 27. §. 4.*
(4) *Ex leg. 35. eod.*
(5) *L. 15. 28. 29. c. de transact.*
(6) *D. 2. de Arbitris.*
(7) *C. 3. et 10. eod.*
(8) *C. 10. de testibus.*

subjectio tum personae, in quam ea exerceatur, tum causae, circa quam versatur, nimirum ut judex sit competens, oportet; sive proprium forum habeat. Hinc de eo sit

CONCLUSIO TERTIA

Natura fori competentis enucleata, canones, qui istud spectant, exponuntur, et de eodem modis ordinariis sortiendo disseritur.

Forum, sive forus, ubi de judiciis agitur, est locus sive tribunal judiciorum, et saepe pro ipso judicio sumitur (a). Judex, et forum competens censetur tum ex persona conventi, tum ex causa. Hinc judex *competens* appellatur, qui habeat jurisdictionem in reum, et causam copulative: si alterutrum desit, *incompetens*. Quoniam vero competens judex forum constituit, nemo non videt Ecclesiam forum proprium habere, in quo non minus de rebus spiritualibus, quam de rebus temporalibus judicat, ut ipse Cavallarius colligit (1). Ultimis pactis conventis inter Pium VII, et Ferdinandum I. ann. 1818 comprobatur articulus XX. his conceptus verbis: *Archiepiscopi, et Episcopi in exercitio eorum Pastoralis Ministerii prorsus liberi erunt secundum sacros canones Causas ecclesiasticas, atque in primis causas matrimoniales, quae juxta Can. 12. sess. 24. 5. c. 17. ad*

(a) Romanis enim et negotiationis, et exercendarum litium locus fuit. Dicitur vero forum, vel forus, ut Varro de lingua latina observat, a ferendo, quod eo loco, et lites finiendae, et merces venales ferebantur.

(1) *Inst. Jur. Can. pars 5. c. 6. §. 15.*

judices ecclesiasticos spectant, *in foro eorum cognoscent*, *ac de iis sententiam ferent etc.*

Refert igitur jura interpretari, quibus forum istud regitur, atque exercetur, et 1.° *extra territorium jus dicenti impune non paretur* (1), idest jurisdictionem extendenti ultra terminos, quibus eadem constricta est (a). 2.° Acta a judice non competente relate ad reum, vel causam, nullius momenti, et roboris sunt (2). 3.° In dubio de competentia judex vel superiorem consulit, vel de jurisdictione sua ipse judicat (b), nisi notoria sit incompetentia, citatus comparere debet exemptionem fori allegaturus, et probaturus (3). 4.° Si quaestio sit inter judicem ecclesiasticum, et saecularem de competentia fori, ad judicem ecclesiasticum spectat causae cognitio (4) 5.° Si quis vult jus suum persequi, (nemo enim invitus agere regulariter cogitur) non potest vi privata uti, sed judicis competentis auctoritate id consequi debet (5). 6.° Actor sequi

(a) Excipitur Episcopus expulsus a sua sede, qui servata forma contra expulsores, consiliarios, fautores procedit etiam in locis aliorum dioecesum, et inter subditos jus dicit. *Clement. un. de foro compet.*

(b) Nisi utilitas, et commodum proprium redundaret in judicem ex tali cognitione, ut si dubitaretur, an hoc territorium subsit jurisdictioni judicis, ex cujus proprietate plura emolumenta evenire possunt, vel nisi recusetur judex in persona, ex. gr. ut suspectus, infamis etc. vel nisi quoad alterum membrum contradictionis incapax foret jurisdictionis, ut si laicus in dubio, an causa sit spiritualis, vel non, vellet pronuntiare non esse spiritualem, consequenter se esse judicem competentem cap. 2. *de rescript.*

(1) *C. 2. de Const. in 6· et l. ult. ff. de jurisd.*

(2) *L. ult. ff. de jurisd.*

(3) *2. ff. si in jus vocatus non ierit.*

(4) *Ex Bonif. VIII. c. si judex 12. de sent. excomm.*

(5) *C. 1. de rest. spoliat. 1. 13. ff. quod vetus causa.*

debet forum rei (1). Nec valet, quod opponi possit jus, ex quo diffamatus potest accedere ad judicem proprium, qui perpetuo injungat silentium diffamanti, si in probatione deficiat, nec debet adire judicem diffamantis proprium, quia etsi tali casu diffamans sit reus, ipse tamen promovere litem de jure censetur tacite accusando eum, quem diffamat. 7.° Si plures reus habet judices, optio est penes actorem, ut agat, coram quo velit, inibi finem expectaturus, ubi semel coeptum sit (2), nec potest aliud ex aequo proprium, et competens forum revocare, quasi praeventus (3) (a). Quamquam forum ordinarium sit, vel

(a) Ex Trid. c. 20. de reform. *Causae omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes etiamsi beneficiales in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscuntur.* Quo nomine *Ordinariis* Praelatos etiam Episcopis inferiores complectitur, nam cum constitutae fuissent Monasteriorum, et Regularium, inde aliquarum etiam Ecclesiarum, atque locorum, ac personarum exemptiones ab Episcopi dioecesani jurisdictione, factum est, ut regulares etiam, aliive exempti forum Praelati sui ordinariam, vel quasi episcopalem jurisdictionem habentis quisque subire in primo gradu cogantur. Benedictus XIV inhaerens Trid. decretis sess. 13. de reform. c. 1. et alibi, haec magis explicans ait: » causae tam civiles, quam criminales ad forum ecclesiasticum » pertinentes, exceptis privilegiatis, quae ex eodem Concilio, » vel alias juxta canonicas sanctiones apud nos, et sedem apo» stolicam tractari possunt, aut debent, coram Ordinariis loco» rum dumtaxat in prima instantia cognoscantur, neque a Me» tropolitanis, Patriarchis, aut Primatibus, aliisque judicibus » ecclesiasticis etiam nostris et Sedis Apostolicae Nuntiis, vel de » latere Legatis, aut Camerae nostrae generali auditore, et ceteris » quibuslibet curiae nostrae judicibus ad se avocari, vel aliis com» mitti possint, nisi per viam legitimae appellationis, et in ca» sibus, ut supra non prohibitis, ad ipsorum tribunalia deferan» tur. Const. *ad militantis* 48. *de appell.* §. 42. t. 1. Bull.

(1) *C. diffamar. C. 5. de ingenuis.*

(2) *Marcia in l. ult. acceptum est 3. ff. de judiciis.*

(3) *C. si quis 7. ff. eod.*

extra ordinem cuique proprium, prout reus conveniri possit ratione modi ordinarii contrahendi subjectionem respectu judicis, vel ratione modi extraordinarii, tamen multiplici ratione huic, vel illi potest quis subjici foro. Et quidem Ordinario multiplici ratione, ut explicant canones his verbis (1): « licet ratione delicti, sive contractus, aut domicilii, sive rei, de qua contra possessorem causa movetur, quibus forum regulariter quis sortitur, Episcopus vester apud Sedem Apostolicam conventus non fuerit, quia tamen omnium Ecclesiarum Mater est eadem, et magistra, rite compelli potuit, ut ibi suis adversariis responderet ». Unde colligitur *ratione delicti*, *contractus*, *domicilii*, *rei sitae*, *et communis patriae* distingui forum proprium.

Extraordinarium autem forum *privilegiatum* dicitur ex privilegio, continentia causae, sive connexione, et consensu litigatorum competens, et proprium fit, de quo sequenti conclusione sermo erit.

Itaque ratione delicti habetur primus modus ordinarius ibi sortiendi forum, ubi delinquentes delinquunt, qui etsi alias ibi non essent subjecti, forum tamen competens habent, ut scandalum purgetur in loco, ubi datum est, et reipublicae per delictum laesae satisfiat (a). Sic legibus civilibus (2) congruit jus sacrum (3) jubens, ut *ibi*

(a) Si delictum privationem beneficii exposcat, Episcopus dioecesecos, in qua delictum fuit commissum, fert sententiam privationis; sed ab Episcopo, in cujus dioecesi beneficium obtinet delinquens, erit quoad illud executio facienda. cap. 14. *de foro compet.*

(1) *C. licet 20. de foro competenti.*

(2) *1. quaest. 1. cap. ubi de criminibus etc. Justin. Novel. 69. cap. 1. et alibi.*

(3) *C. 1. e. 3. g. 6. c. postulasti de foro compet.*

semper causa agatur, *ubi crimen admittitur* (a). Locus vero delicti est ille, in quo est consumatum, aut inchoatum, vel de eo patrando mandatum fuit datum (1).

Quod si in uno loco incohatum, vel causa posita, in alio consumatum fuit, aut in confinibus delictum perpatratum, ita ut nesciatur, in quo territorio perpatratum sit, utriusque judex est competens, et datur locus praeventioni (2). At casu absentiae, aut contumaciae delinquentis haec sunt notanda. 1.° Si reus ante fugam, vel absentiam citatus fuit a judice loci, ubi deliquit, potest etiam absens citari, et contra absentem tanquam contumacem procedi ad suspensionem beneficii, annotari bona, et in ea fieri immissio, aut sententia excommunicationis etc. ferri potest (3). 2.° Si reus ante discessum citatus non fuit, et locus commorationis sit ignotus, tum summaria inquisitione de delicto per edictum citari in territorio delicti a judice potest, et annotatio bonorum fieri, aut etiam immissio in illa statui, vel si tantum habeat bona alibi, requiri ad hoc judex illius loci debet, ut immissionem actoris in rei absentis bona faciat: sic DD. 3.° Si vero reus ubi sit, constet, necesse est, ut judex delicti, si delinquentem trahere velit ad suum judicium, litteras

(a) Causas fori ecclesiastici criminales Episcoporum tantum examini, et jurisdictioni reliquit sancta Synodus Trid. sess. 24. *de reform.* Decanis, Archidiaconis, aut aliorum inferiorum judicio ademit, simul causas criminum *graviores* contra Episcopos Summo tantum Pontifici cognoscendas, et finiendas dimisit, et Synodo provinciali *minores*, cit. sess. Quae vero causae criminales fori ecclesiastici sint vi Concordatorum, videsis concl. XV. cap. III. alterius voluminis.

(1) *C. 11. 1. Cod. ubi de crim.*

(2) *L. 1. 19. ff. comm. divid.*

(3) *C. 8. de dolo et c. ut litt. non constet.*

requisitoriales det ad judicem territorii, ad quod delinquens abiit, hun̄cque per illum citari curet. Ita Schmalzgrueber (1), et alii (a). 4.° Judex loci per se delinquentem remittere non tenetur, ita tamen ut quilibet Magistratus delinquentem intra suum territorium deprehensum ob crimen alibi commissum condigna poena plectere possit, ut arguitur ex jure. Et quando ad petitionem judicis loci, in quo delictum est commissum, eum remittit, id fit sub litteris *reversalibus*, seu, uti dicunt, mutui *compassus*, hoc est per requisitoriales, quod remissio haec non sit praejudicium jurisdictionis, et judex requirens in simili casu idem est facturus. Sic DD.

Ex causa contractus forum evadit proprium; ubi enim contractus est initus, ibi actione in personam reus praesens invenitur super proprietatibus, qualitatibus, et sollemnitatibus ejusdem contractus; censentur enim contrahentes jurisdictioni ejus loci, ubi contrahunt, se subjicere (2). Hinc si quis ex. gr. in alieno territorio matrimonium contraxerit, potest ibidem super eo conveniri, etiamsi domicilium ibi non habeat. Ex eodem jure tutor, et curator, ubi gessit tutelam, curamque suam, ibi rationes reddere debet (3), quemadmodum et gestor negotiorum (4). Item haeres absens, ubi defunctus debuit, ibi deferendus est, et conveniendus, *si ibi inveniatur*, nullo eum privile-

(a) Praelatus Regularis suum Religiosum fugitivum ubique locorum, ubi deprehenderit, capere potest, utpote sibi personaliter adstrictum: arg. l. 1. c. *ubi qui de curiali*

(1) *Tit. de foro compet.*

(2) *Ulp. in l. consensisse 2. ff. de judiciis et Joan. IV. in c. 1. de foro compet. in 6.*

(3) *L. 1. c. ubi de ratiociniis etc.*

(4) *Ex l. interdum 36. ff. de judiciis.*

gio excusante (1), litemque cum defuncto cóeptam in eodem foro suscipiat (2), quum aditione haereditatis, quasi contrahere cum defuncti creditoribus praesumatur. Insuper quia inter collitigantes contrahitur de stando juri, et judicatum solvendo, reconventus actor, antequam finem lis acceperit, ibi judicium patiatur, ubi ipse agit, mutuas accepturus adversarii actiones (3). Demum de distractu in loco etiam contractus agitur, nempe ad annullandum contractum (4).

Ratione domicilii, habitationis, foro diaecesano, et ordinario fit quis subditus jure tum canonico (5), tum civili (6).

Quod forum ita est universale, ut concurrat etiam cum foro contractus, delicti, et probabilius etiam rei sitae, ut communior sentit cum Panorm. Bart. Bald. etc. (7). Siquidem judex domicilii acquirit, et retinet jurisdictionem in incolam subditum, ubicunque locorum iste existat (8). Hoc et de quasi domicilio intelligi probabilius potest, quamvis illud non faciat civem in ordine ad onera, et munera publica; juris enim est (9) *plagii* reum conveniri, *ubi degit*, hoc est, ex Glossa *ubi conversatur*, ut scholaris in scholis, licet domicilium non habeat; nec ratio dissentit; nam quasi domicilium sufficit ad acquirendum forum in ordine ad Sacramenta suscipienda, excepto ordine; suffi-

---

(1) *Ulpian. in c. haeres absens 19. ff. de eod. judiciis.*
(2) *Javolemy in l. si is qui Romae ff. etc.*
(3) *Paul. in l. qui non cogitur ff. eod.*
(4) *L. 14. c. de non.*
(5) *Greg. IX. in c. dilectus 15. de foro compet.*
(6) *Justin. Novell. 123. c. 21.*
(7) *Ex l. 19. ff. de jurisd. et c. 17. de foro compet.*
(8) *L. 4. ff. de damno infecto c. 5. de dolo et cont.*
(9) *Ex l. fin. c. ubi de crim.*

cit ergo ad subjectionem quoad forum contentiosum, cum nulla sit disparitas. Ex his collige quod 1.° si quis plura in diversis dioecesibus habeat domicilia (a), apud unum ex his quodlibet Ordinarium in jus recte vocabitur, sive in rem, sive in personam sit actio. 2.° Advenae alicubi moram sine firmo domicilio facientes ex. gr. negotii, studiorum, legationis causa, et animum redeundi ad larem suum habentes non coguntur inibi lites sustinere ad forum pertinentes domicilii sui, quo sunt redituri (b). Spectat etiam origo domicilii ad hunc tertium modum, quo forum censetur proprium; in jure enim dicitur: *cives*

(a) Ex Adriani edicto in l. cives 7. c. *de nupt.* domicilium ejus loci *cives incolas facit, ubi quis* scilicet *larem, rerumque, ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus.* Duo ergo requiruntur ad domicilium statuendum *factum*, et *animus*, id est, habitatio in aliquo loco actualiter coepta vel per momentum, simulque animus, seu propositum stabiliter, et perpetuo permanendi *ex l. 5. et l. 26. ff. de captivis l. 2. c. ubi Senatores.* Quasi domicilium a domicilio differt ex parte animi; sufficit enim ad illud propositum manendi in loco per notabile tempus, per majorem scilicet anni partem, ut aliqui volunt: ex l. 19. ff. *de judic.* et communi DD. Hinc domicilium simul in pluribus potest haberi locis; non enim requiritur, ut actu quis semper habitet in loco.

(b) Justinianus Novell. 123. c. 26. rescripsit, ubi legationis tempore desunt Episcopi, et clerici, eos non fore ibi conveniendos, sed in loco provinciae suae, ad quam revertentur. Gregorius IX in c. licet 20. et ult. *de foro compet.* addit, nisi ratio delicti, seu contractus, sive rei sitae secus facere suadeat.

Advenas tamen, et quoslibet incolas quamvis ex aliena jurisdictione coram Praetore vocatos lex civilis compellit allegare privilegia sua, et jus revocandi domum suam coram eo ipso, cujus est existimare, an sua sit jurisdictio, aut revocantes domicilii forum obligare ad cautionem sistendi sese judicio competenti. Ulp. in l. *si quis de judiciis.*

origo facit (1), *et origine propria neminem posse voluntate sua eximi manifestum est* in legibus (2). Nomine vero originis domicilii venit locus, ubi suam quisque nativitatem sortitus est non ex accidenti, seu fortuita genitricis mora, neque ex materna civitate, sed ubi pater fixum larem habuit. Ad hoc forum conveniri non potest filius, nisi ibi sit praesens, uti Abbas colligit a domicilio ex jure (3), et Fagnanus (4). Unde originis domicilium, seu paternum a domicilio habitationis distinguitur, eo quod in illo, nisi aliquam quis moram faciat, forum non sortiatur.

Forum quoque fiet proprium ratione loci, ubi res controversa sita est, ibique in quoslibet possessores, quamvis alibi domicilium, vel originem obtinentes, tantum reales actiones dantur tum simplices, nempe rei vindicatio, publiciana, confessoria, negatoria, hypothecaria, tum mixtae, seu personales in rem scriptae, quales sunt ad *exhibendum*, *familiae erciscundae*, *communi dividundo*, *finium regundorum*, *retractus seu protimesis* (5). Nec refert utrum immobilis, an mobilis res sit, de qua contenditur, quia etiam actio intenditur, etsi possessor absit (6). Jure sacro etiam beneficio forum competens fit veluti ratione rei sitae, unde in causis beneficiariis recte apud Episcopum beneficii clerici conveniuntur (7); si

---

(1) *L. cives 7. c. de incolis.*
(2) *L. origine 4. c. de municipalibus etc.*
(3) *In c. 1. de foro compet. num. 9.*
(4) *Ibidem num. 12.*
(5) *L. quod legatur 38. ff. de judiciis l. si fidei commissum 50. ff. eod. 1. actor 3. c. ubi in rem actio exercenda sit c. sane 5. de foro compet.*
(6) *C. 3. de tempor. ord. in 6.*
(7) *In c. 1. de foro compet. num. 11.*

tamen nullum sit residendi onus beneficio simplici adnexum. Ita Fagnanus (1).

Ratione communis patriae Roma christiana *omnium Ecclesiarum mater* , *et magistra* jure sacro dicitur (2), a quo non discessit jus civile (3): *Roma*, ait, *communis nostra patria est.* Igitur utroque jure Roma domicilium commune censetur, et apud Romanum Pontificem forum commune habetur , ibique unusquisque conveniri poterat in causis spiritualibus , et ecclesiasticis (4). Nec Synodus Trid. his legibus derogavit. Hinc Clericus nisi ex justa causa , et necessaria Romam venerit , ibidem adversario suo respondere cogitur (5). Sed forte excipere posset conventus ex Trident. (6). Hoc tamen ita intelligi debet, ut serventur gradus jurisdictionis , de quibus jam suo loco dictum fuit.

CONCLUSIO QUARTA

Modi , quibus Extraordinarium forum acquiritur, adferuntur.

Extraordinarium forum , alias incompetens proprium evadit *prorogatione* , quae est extensio jurisdictionis judicis , ceteroquin non competentis facta consensu partium , nempe vel de persona ad personam , de re ad rem , de causa ad causam , de tempore ad tempus , de loco ad locum , in quibus , et ad quae

(1) *L. 2. c. ubi in rem actio.* (2) *C. fin. de foro compet.*

(3) *35, ff. ad. municipalem.*

(4) *Confer Fagnanum in c. licet 21. for. compet. et const. Bened. XIV. quantum ad procurandam.*

(5) *C. ult. de foro compet.* (6) *C. 20. de reform. sess. XXIV.*

judex alias jurisdictionem non habet, et quidem jure (1) Romano in causis civilibus consensu partium, quo jurisdictio profertur, seu *prorogatur*, jure canonico (2) clerici ex Episcopi proprii voluntate in alienum judicem Ecclesiasticum recte consentiunt; non item in judicem laicum (3), quia privilegium fori est in favorem totius ordinis clericalis, cui renuntiari non potest. Praeterea partes litigantes, utpote privati, tribuere jurisdictionem de novo nequeunt, vel jurisdictionis pro aliqua causa, aut persona incapacem habilitare. Unde prorogatio extensio definitur, non collatio: ***Privatorum consensus***, ut in jure dicitur, ***judicem non facit eum, qui nulli praeest judicio, nec quod is statuit, rei judicatae continet auctoritatem.*** Vides hinc quod clerici, et religiosi a jurisdictione Episcopi alias exempti non possunt Episcopo per viam prorogationis se subjicere in iis, quae spectant jurisdictionem contensiosam sine consensu Papae. Pontifici enim per exemptionem acquiritur jus in exemptos (4), quod proin per subjectionem ad inferiorem sine illius consensu laedi existimant DD. Religiosi etiam quoad voluntariam jurisdictionem propter votum obedientiae opus habent licentia sui superioris, nisi irrationabiliter hanc negaret Praelatus. Ita DD. contra Suarez. Demum nec laicis permissum in causis spiritualibus Episcopo alieno sine consensu proprii Ordinarii prorogare in se jurisdictionem etiam voluntariam ex. gr. petere dispensationem in votis, excipere Sacramentum Confirmationis (quod hoc in Regno tacito consensu videtur Episcoporum ab his indistincte administrari etc.); quoniam errantibus nullus est consen-

(1) *L. 1. 2. ff. de judic.*
(2) *C. 18. ex de foro compet.*
(3) *C. 12. eod.*
(4) *C. 2. de in integr. rest.*

sus (1). Litigantes, (quorum consensus necessarius, ita ut nec invito adversario jure communi licet variare forum, exceptis pupillis, viduis, et injuria fortunae miseris (2)) scire debent, an competat jurisdictio judici, ad quem conveniunt, etsi sufficiat, si tacite eidem consentiant, puta non opponendo exemptionem fori declinatoriam. Proinde nunquam fieri potest prorogatio ex errore, nec coacte, vel gravi metu extorta. In causis, et judicibus delegatis prorogatio quoad *locum*, et *tempus* facile admittitur ex consensu partium, in quarum favorem clausula de certo loco, et tempore delegationi adjecta censetur (3). Quam dein raro in Curiis Regni Episcopalibus, tam frequenter in hoc regno clerici etiam inscio Episcopo ex consuetudine immemorabili non abrogata a Trid. juxta S. Congregationem (4) (Nam Synodus addit: *nisi Episcopo prius requisito, eoque negligente procedant non absentibus etc.*) in forum Nuntii Apostolici Neapoli commorantis consentiebant in causis, ut ajunt, executivis, necnon ex pacto specialis obligationis in *forma R. C. Apostolicae*, qua paciscentes Ecclesiastici sese aperte subjiciebant judicio Romani Auditorii ejusdem Camerae Apostolicae, quod R. C. vulgo appellatur, seu Cardinalis S. R. E. Camerarii, cujus pars est Nuntiaturae Tribunal., sed etiam ex pacto generali, quod solet publicis instrumentis inscribi, ut ea scilicet valeant in quolibet loco, et foro incusari contra stipulantes, quoties ii a pactis conventis resilient, vel facere omittent.

(1) *L.* 2. *cit.* (2) *C.* 21. *de jud.*
(3) *C.* 4. *de off. et post. delegat.*
(4) *Ex c. quando Imperator inter pupillos.*

Continentia causarum forum est etiam extraordinem; est autem haec continentia, sive connexio: *Colligatio rerum controversarum, ut separationem non patiantur, sed uno, eodemque judicio terminari exigantur.* Quod fieri potest 1.° ratione personarum, contra quas agitur, ex. gr. si plures sint coheredes, tutores, socii, debitores etc. qui conveniuntur, ad diversum alias forum pertinentes, vel si idem reus res, quae petuntur, habeat sitas in diversis territoriis: 2.° ratione *rei controversae*, de qua plures quaestiones vel principaliter, vel incidenter in judicium deducuntur, nisi causa incidens sit spiritualis; tunc enim a judice laico est remittenda ad judicem ecclesiasticum, pendente interim causa principali ex. gr. si contendas de rei possessione, et proprietate simul, vel successive, si clericus coram judice laico respondere debeat; nam tunc possessorium a petitorio dividendum esset (1); ex. gr. si clerius egerit, et obtinuerit contra laicum in possessorio coram judice laico, postea autem conveniatur tanquam reus in petitorio, conveniri debet coram judice Ecclesiastico, si ex eadem causa agas criminaliter, et successive; 3.° ratione *actionis*, si ex se sit vel generalis, quae se extendat ad res diversas, ut est petitio haereditatis, actio tutelae, negotiorum gestorum in diversis locis, vel super diversas res, vel sit praeparatoria respectu alterius, ut actio ad exhibendum, ad rei vindicationem; vel sit *praejudicialis*, ut est actio, vel quaestio de statu ex. gr. an sit filius legitimus in ordine ad petitionem haereditatis: ratione demum integritatis, ut si una pars debiti ab uno petatur judice, ab eodem et alterum peti fas est. Utroque enim jure decisum est

(1) *C. 21. de jud.*

causas connexas non dividi debere, sed in eodem foro sub eodem judice expedi, ex quibus haec regula habetur: *Continentia causarum non est dividenda*, seu causae connexae non sunt dividendae, si tamen dividerentur, valeret processus, nisi contra decisiones pars exceperit (1). Hoc tamen intelligitur, si judex sit capax jurisdictionis in utroque foro.

Privilegio evadit etiam competens forum Monachis, et Regularibus, necnon quibus speciali praerogativa Sedis Apostolicae exemptio fuit concessa in totum, aut pro parte ab episcopali jurisdictione. De hoc privilegio jam respective, et congruenter in objectis suis, quamvis summatim, actum fuit praesertim altero, et tertio volumine. Qui se totum argumento eidem dare voluerit, adeat Gagliardum, qui satis abunde illud explicat (2).

CONCLUSIO QUINTA

Distinctis Actore, et Reo, cuinam ex his persona standi in judicio desit, exponitur.

Actor *ab agendo* dicitur is, qui petit, et ad judicium provocat (3). Verum si criminaliter agitur, vocatur *accusator*, cujus vicem supplet Fiscalis ex officio (a). Actori incumbit onus probandi (4), ita ut *eo non probante reus absolvatur* (5). Reus quamvis inscius sit sceleris, talis dicitur a re, quae petitur.

(a) Non semper in judicio personam Actoris sustinet is, qui primo provocavit ex. gr. in judicio *in vi diffamari*, Actor ille

(1) *C. fin. de rescript. in 6. l. 10. c. de judiciis.*
(2) *Inst. Can. L. III, Tit. XII., et XIII.*
(3) *C. in tribus ff. de judiciis.* (4) *L. 8. et 1. Rector 23.*
(5) *Ut Ecclesiastica beneficia etc. c. unic. 1.*

Quoniam vero defensio etiam jure naturali nemini negatur, ab eo exceptiones opponantur tanquam clypei, seu thoraces, de quibus postea erit sermo. Actor, et reus quilibet esse potest, qui habeat legitimam personam standi in judicio, modo aliunde prohibiti non sint, ne defectu personarum versantium in judicio hoc nullum sit. Et quidem 1.° excommunicatus agere non potest in judicio, sed conveniri, ac non respondere debet per alium (1). 2.° Monasterium sine consensu et auctoritate Abbatis non agit (2), nisi contra ipsum Abbatem (3). Contra Abbas, ut in judicio compareat, regulariter non indiget consensu capituli (4). 3.° Procuratores possunt solum proponere factum in judicio, quando actor, vel reus per se nolint proponere illud; id vere nequeunt advocati, quia officium advocati consistit in iis, quae sunt juris; sufficienti mandato instructi non possunt regulariter repelli, *nisi causa fuerit criminalis, vel pro veritate dicenda, vel pro juramento calumniae faciendo, vel alias juris necessitate partes coram eo* (judice) *exegerit personaliter praesentari* (5). 4.° Mulieres personaliter ad judicium trahi non possunt invitae: religiosae vero nec volentes extra monasterium admittuntur (6). 5.° Peregrini, aliive, quorum ignota est ori-

---

est, qui convenitur, reus autem est ille, qui uti diffamatus agit. Remedium enim *diffamari* actio propria non est, sed imploratio judicis, unde diffamatis Reorum beneficia competere certi juris est.

(1) *De libelli oblat. c. si significantibus.*
(2) *C. 1. de probationibus.*
(3) *De Rid. in 6. Reg. 52.*
(4) *C. 1. de dol., et contumacia 6.*
(5) *Ex Cothofred. ad reg. l. res 20.*
(6) *Ursill. ad afflict. dec. 70. num. 3.*

go, ob id ab agendo, vel respondendo repelli non possunt (1). 6.° Filius sine consensu Patris agere non potest causam spiritualem (2). 7.° Ratione aetatis in causa spirituali, qui major est XIV annis, per se, vel per procuratorem agit, vel respondet: minor ea aetate per se non agit, sed per procuratorem datum auctoritate judicis ecclesiastici ordinarii, vel delegati ad talem causam. Infantes, furiosi, dementes nonnisi per tutores et curatores in judicio admittuntur (3). Pupilli autem auctoritate tutoris intercedente id possunt leg. *si cum esset* l. Cod. *qui pers. legit. stant. in jud. hab.*

CAPUT III.

DE PERSONIS, QUAE ACCESSORIE AD JUDICIUM JUVANDUM PERTINENT, ET CURIAE EPISCOPALIS SUNT MINISTRI.

CONCLUSIO PRIMA

Adsessoris natura, et advocati, item origo, dotes, et officia enucleantur.

Adsessor est is, quem ille, qui potestatem habet judicandi, sibi associat, ut sibimet in causa assideat, seque ad causam recte decidendam instruat. Ita Archidiaconus (4). Adsessores proin dicti, qui Magistratibus adsidere in causarum examine, et decisione sole-

(1) *In Append. de dolo et contumacia, et eod. tit. cap. Ad haec quum.*
(2) *Ut lite non contest. c. suae fraternit.*
(3) *L. his qui 52. §. ult. ff. de tutor. et curat.*
(4) *Ad c. 11. de rescriptis in 6.*

rent (a). Exemplo Magistratuum Civilium coeperunt et ipsi Praelati, quibus jure vel ordinario, vel delegato judicandi auctoritas competebat, in causis tractandis, et decidendis Assessores adsciscere. Saepius enim contigebat, ut ipsi Praelati, aliive auctoritate judicandi pollentes, scientia forensi, cujus stylo maxime omnium circa saeculum XII in tribunalibus ecclesiasticis caeptae sunt causae instrui, parum instructi essent, aut in majoribus occupati negotiis. Immo Leo X sic declaravit (1): « Judices autem, et Con-
» servatores a Sede Apostolica deputati, si in altero ju-
» rium graduati non fuerint, Assessorem partibus
» non suspectum, ab ipsis partibus, vel earum altera
» requisiti assumere, et secundum ejus relationem ju-
» dicare teneantur ». Ne autem in gravamen partium adscisceretur, Bonifacius VIII statuit (2), « ut
» judex Adsessorem, ut quandoque faciunt aliqui
» fraudelenter, (nisi eo indigeat, quod conscientiae relinquatur ejusdem) sibi nequaquam adjungat: alio-
» quin de suo proprio providere teneatur eidem. Si
» autem indigeat, ipsum neutri parti suspectum assu-
» mens, ei, de competenti salario provide moderan-
» do ab eo, faciat a partibus communiter provideri ».

(a) Licet jure Romano Judices legum peritiam habere deberent, atque munus judicandi per se obire tenerentur, Novell. 60., et 82. Magistratus tamen hac scientia non debebat esse instructus, qui plerumque, ut Gothofredus, et Cujacius l. 23. *Obser.* 40. advertit, *nec jurisperitus est, sed vir militaris ex nobiliore familia etc.* Quod jam Balsamon observaverat ad Can. 5. Carthaginensem dicens. *Magistratus, qui praesunt judicibus, non coguntur leges exacte scire, ut qui multis aliis occupationibus versentur.*

(1) *Constit. Regimini universae Eccl.*

(2) *Cap. II. §. Adsessorem de rescriptis in 6.*

Advocatus, qui etiam patronus causae, et orator, vel Causidicus dicitur, est ille, qui pro altero praesente postulat, seu litiganti patrocinium praestat, causam legitime secundum jura deducendo (a). Distinguitur autem *advocatus privatus*, qui nempe causis privatorum, et *advocatus Fisci*, qui causae fisci seu aerarii patrocinium praestat. Privatus subdistinguitur in *Ordinarium*, qui nempe publica auctoritate ad hoc officium est constitutus, atque Albo advocatorum inscriptus; et in *Extraordinarium*, qui ibi dicto modo non est adscriptus. Eodem modo, ac in curias, et tribunalia ecclesiastica ad exemplum tribunalium civilium intrarunt adsessores, usu invaluit, ut advocatorum clientelae se commendarent litigantes, qui tamen antiquo jure per semetipsos actionem suam edebant, ipsoque jure novo invecto Innocentius III respondit Episcopo Heliensi (1), *ut principales personae* (Actor, et Reus) *non per advocatos, sed per seipsos factum proponant, nisi forte sint adeo indiscretae, ut earum defectus de judicis licentia per alios suppleatur.* Ceterum advocatorum officium per se laudabile, et honorificum est, quippe *qui gloriosae vocis confisi munimine in laborantium spem, vitam, et posteros defendunt*, ut Imperatores loquuntur (2). Hinc ab eo excluduntur lege 1.° Haeretici non tolerati, et infideles (3); 2.° minores decem septem an-

(a) Titulus XXXVII. Decret. l. 1. de postulando stricte ad officium advocati refertur. Postulare etenim juxta c. 2. q. 7. et l. 1. §. 11. eod. est *desiderium suum, vel amici sui in jure apud eum, qui jurisdictioni praeest, exponere, vel alterius desiderio* (actoris petitioni in sua vel amici causa) *contradicere.*

(1) *In c. 14. X. de judiciis*

(2) *In L. in c. de advocatis divers. judicior.*

(3) *L. 1. fin. c. de potestate.*

nis (1); 3.° foemina, nisi pro filio, cujus est tutrix (2); 4.° omnino coecus, surdus, infamis (3); et qui ex testamento accepit aliquid contra ipsum testamentum, ex quo accepit (4); 5.° Judex, et Arbiter in ea causa, in qua sunt judicaturi (5); 6.° Fiscus, et Respublica contra privatum praetextu debiti, quod ipsis debetur (6); 7.° Potentiores, ne jura opprimant alterius partis (7); 8.° literarum, et jurium imperiti, hodie qui gradu *licentiae*, vel *doctoratus* sunt destituti (8); Adhaec ex jure Canonico prohibentur 1.° excommunicati (9). 2.° Religiosi sine consensu sui Praelati, et extra casum utilitatis Monasterii, quo casu Minores S. Francisci neque hoc possunt (10) 3.° Clerici saeculares in majoribus constituti coram judice laico, et coram ecclesiastico contra Ecclesiam, in qua habent beneficium (11), quamvis in causa propria, vel suae Ecclesiae, aut pro personis sanguine junctis usque ad quartum gradum, et pro miserabilibus in tribunali laico advocare possint (12). In Curia ecclesiastica autem etiam in laicorum causis facere id possunt (13).

Officium suum debet advocatus praestare *rite*, id

---

(1) *L. 1. §. eod. tit.*
(2) *L. 1. cit. et 2. §. de Arb.*
(3) *Etiam ex c. infames 3. q. 7.*
(4) *L. §. de inoff. not.*
(5) *L. 6. c. de postul.*
(6) *L. 3. et tot. tit. ne Fiscus, vel Resp. etc.*
(7) *Tit. ne liceat potentioribus.*
(8) *L. 2. c. cit.*
(9) *C. 8. de sentent. excomm.*
(10) *C. 2. de Postulat. et 2.*
(11) *C. 1. et 3. eod.*
(12) *C. 1. et 3. cit. junct. gloss.*
(13) *C. per venerabilem, qui filii sunt legit.*

est, servato ordine judiciario, *candide* a fallaciis et fraudibus se abstinens (1), *modeste* a conviciis, et sarcasmis se continens (2) *breviter*, ne de industria jurgium protrahat (3) *fideliter*, ne clienti desit. Hinc suscipere omnino non debet causam injustam, quamvis probabilem possit advocare, etsi judicet probabiliorem causam partis adversae, dummodo clientem moneat de minore probabilitate, et si inde illam injustam videat, desistat, atque curet, ut et ille desistat (4). Insuper nesciens causae injustitiam disponat adversarium ad transactionem, cui nec secreta prodat sibi credita, ne cliens perdat causam. Causam ne protrahat ad longum tempus, quae si matrimonialis sit, impediens ejus effectus excommunicationem incurret etc. (5); quae videre est apud Theologos morales, qui et de onere restitutionis, si quod damnum sit parti illatum, pertractant. Hoc unum tamen, ne longus sim, negligere minime decet, nimirum quod peritia jurium fretus debet esse advocatus, et de facto sive quaestione rite instructus, prudentia, probitate, ac justitiae zelo praeditus, ut ab officio suo deficere sic non possit, nec advocati cum eruditissimo de Rubeis (6) pro juris doctoribus dicantur juris dolores, aut cum Orsaja (7) de eisdem dicatur:

In Institutis comparo vos brutis:
In Digestis nihil potestis:

(1) *L. 14. c. de Judiciis.*
(2) *L. 6. c. de postulando.*
(3) *L. 6. cit.*
(4) *L. Re non nova §. Advocati c. de judic. cui Sanctus Thomas 2. 2. q. 71. art. 3. concordat.*
(5) *Consilium Oxonens. c. 4.*
(6) *Disc. ad scient. amat. p. 4. tom. 3.*
(7) *Inst. crim. l. 9. tit. 10.*

In Codice scitis modice:
In Novellis comparamini asellis:
Et tamen creamini doctores!
O tempora! o mores!

CONCLUSIO SECUNDA

Quaecunque ad procuratorem pertinent, declarantur.

Procurator, idest curator pro aliis, a Tullio dictus alieni juris vicarius, est, qui aliena negotia mandato domini administrat (1) (b). Differt 1.° a negotiorum gestore, qui sine mandato administrat; 2.° a tutore, et curatore, qui voluntate testatoris, vel decreto legis, aut a Magistratibus datur; 3.° ab advocato, qui postulat pro praesente, non pro absente, vel pro seipso nolente, aut agere non volente; at Procurator agit, ut dominus litis, et post litem contestatam fit dominus litis (2). Advocatus jus tantum suppeditat. Distinguitur vero alius universalis seu omnium negotiorum, qui, ut jus ait (3) *generaliter constituitur ad negotia procurator, agere ac experiri potest*, exceptis his casibus,

---

(b) In curiis ecclesiasticis ut et in civilibus usus Procuratorum invaluit verosimiliter una cum stylo Forensi circa saeculum XII aut XIII, uti dictum est de Advocatis. Unde de procuratoribus ad lites nullae extant Decretales, quae hanc aeram praecedunt in libris juris sacri.

(1) *L. 1. de procuratoribus.*
(2) *L. 22. c. de Proc.*
(3) *C. 5, eodem in 6.*

qui mandatum exigunt speciale (a): et alius specialis, qui ad causam, vel certa negotia datur (1). Universalis subdividitur in eum, qui cum libera, seu plena, et in eum, qui sine libera potestate datur (2). Adhaec alius Procurator negotiorum est seu *extrajudicialis*, cui negotia extra judicium committuntur, *judicialis* alius seu ad lites, cui lites in judicio tractandae committuntur (3), qui iterum alius est in rem suam datus, alienum scilicet negotium gerit in suam utilitatem ex. gr. quum dominus illi vendidit, aut alio modo cessit sua jura, et actiones, ita ut alieno quamvis nomine nimirum cedentis litiget, emolumenta tamen litis ad ipsum pertineant: alius in rem alienam constitutus, nempe in utilitatem Domini.

Constitui potest procurator ad extrajudiciale negotium quilibet capax sit illud gerendi; ad litem vero, qui suo nomine stare potest in judiciis, nisi expresse prohibeatur. Tales sunt 1.° *Milites*, nisi agant in rem suam, aut nomine cohortis, aut si adversarius ante litis contestationem exceptionem non opponat (4).

(a) Si Episcopus dioecesi discessurus Vicarios, vel procuratores constituit generales, hi etiam in judicio agere possunt, etsi sub nomine actoris, vel Syndaci constituti non sint c. 9. cod. Est autem Syndacus, qui causas seu lites Universitatis, vel collegii agit, et 1°. a procuratore differt tamquam species a genere, 2.° a Fiscali, quia hic tantum causas criminales tractat, et mulctas universitati debitas, ac poenas persequitur; 3.° ab actore, quia hic ad unam, vel ad certas tantum lites constituitur. Et quoniam universitas personae tantum vices gerit, nec naturaliter consentire potest, ita nec naturaliter per se agere; hinc judicio experiri nequit, nisi syndacum constituerit.

(1) *C. 4. cod. in 6. et l. 58. §. cod.*

(2) *L. 1. et 3. §. cod.*

(3) *L. 33. et 43. §. cod.*

(4) *L. 8. §. eod.*

2.° *Foeminae*, nisi agant in rem suam, aut pro parentibus aetate, vel infirmitate impeditis (1), vel nisi sit Abbatissa in causa sui monasterii (2); 3.° *Laici*, qui si sint minores viginti quinque annis, saltem de jure canonico agere, et defendere se nequeunt in causis spiritualibus (3); licet quis post annos decem et septem ad negotia extrajudicialia licite deputetur (4); 5.° *Infantes*, *Potentiores* (5), *Fiscus* (6); *Religiosi* sine licentia Praelati, nisi pro suo in eadem lite consorte, et ad utilitatem monasterii (7) (a); 6.° *Clerici* apud judices saeculares, nisi pro Ecclesiae suae, aut propria causa, vel necessitate coacti pro conjunctis, et miserabilibus personis (8).

Constituere autem potest procuratorem quicumque rei dominus est, et liberam habet administrationem, cui censetur quidem permissum, nisi specialiter ei prohibeatur (9) (b). Ex hoc collige 1.° quod constituens

(a) Fratribus Minoribus exceptis, qui nec personaliter adsistere possunt procuratoribus, sicut nec advocatis, dum in curia temporalia agunt. Clement. *exivi de verb. signif.*

(b) In causis beneficialibus, aliisque spiritualibus necnon ab iisdem dependentibus filiusfamilias, licet sit pubes, sicut potest per se in judicio stare sine consensu patris l. ult. cap. *de bonis quae etc.* sic si velit procuratorem constituere, non est prohibendus. Ita Lancellot. hic etc. *indemnitatibus de elect. in 6. cap. ult. de judiciis*: si vero sit pubertati proximus, nequit per se in judicium venire; verum ab Episcopo, vel ejus officiale procuratorem accipiat; proximus vera infantiae cum auctoritate eorumdem procuratorem constituit; hic §. *quod si quartum decimum.*

(1) *L. 18. et 21. eod.*
(2) *C. 4. §. quia vero de conferm. utili.*
(3) *C. 1. de procur. in 6.*
(4) *L. 1. cit. tit.*
(5) *C. 5. cod. in 6.*
(6) *Cit. tit. c. ne liceat.*
(7) *Clement. Religiosos eod. c. 7.*
(8) *C. 1. et ult. de postulando c. 2. et 4. ne clerici vel monachi.*
(9) *Tot. tit. c. ne liceat potentioribus.*

procuratorem in litem necesse, est ut sit dominus litis, et ipse per se stare possit in judicio, proindeque excommunicato prohibitum, quia per se agere non potest, vel impetrare (1): idem dic de pupillo, et minore sine consensu tutoris, et curatoris (2). Minor vero non habens curatorem constituere potest ad negotia procuratorem, qui a Magistratibus dandus est: si tamen constituit aliquem, tum sententia pro minore lata valet; si contra eum lata sit, non valet (3). Item Curator, Tutor, Syndacus, et Procurator sibi non valent alium substituere ante litis contestationem, per quam fiunt domini litis (4). Praelatus super Ecclesiae rebus, et juribus, et in rebus quidem non valde arduis, in quibus per se agere posset sine consensu Capituli, constituit procuratorem, in aliis non potest.

Et quidem ad omnes causas constitui potest Procurator exceptis criminalibus, in quibus de poena agitur mortis naturalis, vel civilis (5) ne judicium reddatur elusorium aufugiente forsan accusatore, si in probatione deficiat, vel reo, si succumbat (a). Defensor tamen absentis Rei non excluditur. In causis etiam famosis seu infamiam damnato irrogantibus praestat litigare per procuratorem, ut evitetur infamia juris; ille enim infamis non redditur, quia non reus, nec principalis, nec in ipsum fertur sententia

(a) Per litis contestationem procurator fiebat dominus litis l. 12. *de procuratorib.* atque hinc tanquam principalis accusator in crimen inscribere tenebatur, et talionis poena se obstringere, si crimen non probaret, quod poenarum fini repugnat l. 5. ext. *de procur.*

(1) *C. 7. de judiciis et 12. de except.*

(2) *L. 11. c. de procurat.*

(3) *Leg. 14. eod.*

(4) *L. 11. cap. eod.*

(5) *Ex l. penult. §. ad crimen de publ. judic. et c. 5. de accus.*

saltem de his delictis, in quibus tantum per consequentiam infamia infligitur. Quod si de crimine civiliter agatur, et ad poenam pecuniariam, procurator admittitur (1), idque locum habet, si per denuntiationem, quae ad emendationem spectat, crimen deferatur (2). At deinceps usu fori, quia subscriptio in crimen desuevit, et fictio domini litis per contestationem acquisiti, nullius est effectus, accusatio per procuratorem non rejicitur: jure civili mandato, quod solo consensu constat (3), admittitur procurator; jure canonico scripto opus habet (4). Quod obtinuit etiam in foro civili, quamvis procurator de rato cautionem afferat. Hinc coram procuratore falso, acta judicii non valent, et exceptio de nullitate judicii post litis contestationem, et post sententiam opponi potest (5) (a). Hujus mandati finibus servatis quidquid procurator gessit, ratum firmumque est, sive prosit domino, sive noceat (6) (b). Procurator demum

(a) Excipe, si Episcopus, aut Praelatus bona, et jura suae Ecclesiae perdat, aut illa defendere, vel recuperare negligat; tunc enim Canonici, et Clerici etiam sine mandato agere possunt c. 1. *de restit. spoliat.* c. 6. *de rebus eccles. non alienand.* In his enim praesumitur mandatum ita tamen, ut veritati cedat praesumptio, si certo constet de voluntate domini. Sunt et alii casus exceptionis, quibus tacite, vel praesumptive mandatum ex jure intelligitur.

(b) Juxta stylum curiae in eo exprimenda sunt 1.° nomina constituentis, procuratoris constituti, actoris, contra quem, et judicis, apud quem agendum: 2.° materia seu qualitas causae demandatae: 3.° annus, et dies etc. constitutionis. Insuper regulariter additur clausula: *et ad reliqua omnia, quae ego ipse, si praesens essem, facere possem.* Si vero est mandatum, quod actor dat, additur etiam clausula de ratum habendo quidquid procurator gesse-

(1) *Cit. c. 5.*
(2) *C. 16. ex accusationibus.*
(3) *Inst. l. 3. c. 15.*
(4) *C. 1. de procuratorib.*
(5) *C. 4. eod. L. 2. c. eod.*
(6) *Cap. 1. cit.*

generaliter constitutus ad negotia, etiam censetur ad lites datas, non tamen vicissim.

Officium procuratoris est 1.° contestare litem, 2.° Appellare, 3.° substituere sibi alium, si sit impeditus (a) 4.° Negotio, aut lite ad finem perducta rationem eorum, quae gessit, domino reddere, 5.° eidem quae consecutus est, reddere. Expirat officium procuratoris praesertim 1.° mutuo consensu Domini, vel procuratoris, dummodo adversarius non contradicat, quod potest post litem contestatam, vel praestitam cautionem de judicato solvendo, quo casu cognoscendum erit de causa revocationis, an justa sit, quia per litis contestationem quasi fit contractus, a quo invita altera parte recedi non potest (1), 2.° revocatione, re

rit. Clausula generali ad agendum procurator potest omnia, quae mandatum hoc vel principaliter, vel accessorie sub proprietate verborum illius continet. Hinc constitutus ab actore ad agendum, censetur constitutus etiam ad respondendum in causa reconventionis. Non tamen potest ea, quae speciale mandatum exigunt, etiamsi constitutus sit cum clausula, ut possit omnia, *licet mandatum speciale exigant* c. 4. eod. in 6. quia hoc ipso quod jura ad quaedam speciale mandatum exigunt, non sufficit generale sine specifica expressione, paucis exceptis casibus ex. gr. si procurator sit ita constitutus, ut ei bonorum, vel causae administratio libere sit concessa; c. 4. cit. vel si procurator in rem suam sit etc.

(a) Potest tamen, si sit ad negotia datus, alium sibi libere substituere, quandocunque vult, ita tamen ut si sit procurator generalis, non totam suam potestatem, sed aliquam tantum, et ad aliquas causas speciales delegare possit c. 1. *de procur.* in 6. Si vero sit specialis, negotium sibi commissum delegare potest, nisi industria personae electa censeatur, uti fit in negotiis valde arduis ex. gr, contrahendo matrimonio, vel sponsalibus etc. l. 8. *si quis* §. *mandati* c. ult. *de procur.* in 6. Procurator ad lites in *rem suam* potest alios substituere; secus si in *rem alienam*, nisi lite contestata, quia tunc primum fit dominus litis.

(1) *L. 5. c. de O. et A*

adhuc integra, alias nisi causa a judice cognita, et adprobata (1) (a), 3.° mortuo mandante, cum res sit integra (2); at si mortem ignoret procurator, et sic revocationem mandati, valent acta (3). Porro id locum non habet, si revocatio aliunde innotescat; debet enim haec legitime intimari (b). 4.° Si ipse Dominus sive ante, sive post litem contestatam ad causam suam veniat animo, ut eandem causam per seipsum agat (4).

CONCLUSIO TERTIA

Nonnulla de aliis ministris disseruntur.

Advocati, *et Promotores Fisci* (c), postquam Curiae ecclesiasticae more, et stylo Curiarum Civilium

(a) Causae habiles revocandi procuratorem etiam lite contestata habentur l. 28. et seq. ff. eod.

(b) Excepto casu matrimonii, quod est invalidum etiam post revocationem non intimatam c. ult. *de procur.* in 6. quia utriusque principalis consensus essentialiter requiritur, quum jus, sicut in aliis contractibus, supplere illum non possit: excipe etiam casum Ecclesiae, vel beneficii; in utroque enim casu revocatur mandatum per mortem Praelati, vel Rectoris etiam post litem contestatam. *Clement.* ult. eod.

(c) In eod. inst. extat titulus de Advocato Fisci, qui in tribunalibus Regiis dictus fuit Advocatus *Fiscalis* tamquam qui ex officio patrocinari debent Fisco, sive publico Ærario; vel Advocatus *Regius*, quia causis Regiis deservit.

Adhaec advocato adjunctus fuit *Procurator Fisci*, ut sicut in privatis, ita in publicis causis esset advocatus, et Procurator, qui causas fiscales et regias in qualitate procuratoris prosequeretur,

(1) *L. 22. c. de proc.*

(2) *L. 23. c. eod.*

(3) *C. 33. de rescrip*

(4) *C. 8. de procurat. in 6.*

gubernari coeperunt, etiam Advocati Fiscales, et Procuratores Officii, seu promotores in ipsis statuti fuerunt: ille ut causas publicas, et communem Ecclesiae utilitatem spectantes susciperet, et defenderet coram judice ecclesiastico: hic ut invigilaret insuper coram eo, simul abusibus, atque delictis, quae in dioecesi committuntur; atque de his Episcopum informaret, et judicem, imo et opportunum remedium, etiam judicialiter contra delinquentes agendo, exposceret, ut DD. notant.

At ad vitandos excessus, et vexationes, in quas adduci possent Promotores, a Synodis variis, et maxime Noviomensi (1), nec non ab ordinationibus Curiarum aliquarum praesertim provinciae Mechliniensis, atque ab aliis haec praescripta leguntur: 1.° ut promotoris officio tantum ecclesiastici fungantur, 2.° jurejurando se adstringat excessus fideliter persequendi, ut nonnisi habita informatione magnaque discretione quemquam conveniat, 3.° super causis agendis debeat conferre cum Advocato Fiscali, ut hic cognoscat, an causae ab eo institutae sint justae, 4.° antequam accusatas personas evocet ad judicium, causam Officiali referat, ut consideret, an pacatius, et sine strepitu forensi illam agere potius expediat, 5.° promotores delinquentibus conniventes ad arbitrium Episcopi puniantur.

---

dictus *Promotor* a verbo *promovere*. Ad hunc in utroque foro publicum accusandi munus spectat; non omnibus enim promiscue licet in publicam vindictam accusare, quod contrarium videtur legibus Romanis; quae omnibus potestatem accusandi faciebant.

(1) *Ann. 1344.*

De Graphiariis, sive Scribis, vel Cancellariis.

Concilium Lateranense IV sub Innocentio III, ne falsitas in judiciis veritati praejudicet, aut aequitati praevaleat iniquitas, statuit (1), « ut tam in judicio » ordinario, quam extraordinario Judex semper adhi» beat, *personam aut publicam* (si potest haberi) » aut duos viros idoneos, qui fideliter universa judicii » acta conscribant: videlicet citationes, dilationes, » recusationes, exceptiones, petitiones, responsio» nes, interrogationes, confessiones, testium depo» sitiones, instrumentornm productiones, interlocu» tiones, appellationes, renuntiationes, conclusio» nes, et cetera, quae occurrerint, competenti ordine » conscribendo, loca designando, et tempora, et » personas ».

Inde ex his colligitur 1.° quod concilium istud primum judicibus praeceperit personam publicam adhibendam judicialiter agentibus; non enim alia constitutio extat antiquior de hoc argumento. Unde verosimile dici fas est cum stylo forensi in curias ecclesiasticas illam intrasse. 2.° Persona haec publica conveniat cum eo, qui dicitur *Graphiarius*, *Secretarius*, *Notarius*, aut *Cancellarius* (a); 3.° horum

(a) Cancellarii sunt, qui scribendis, et expediendis Judicum epistolis actisque operam dabant, de quibus sicut et Adsessoribus extat titulus in Cod. Justinianaeo. Dicti fuerunt Cancellarii, quod eorum cellulae ob cartharum amittendarum periculum cancellis essent munitae. Observandum tamen quod Secretarii Episcoporum ad conficienda instrumenta de actibus suis tantum deputati, puta de resignatione beneficii, praesentatione patroni etc. quamvis in his censeantur *Notarii*, et personae publicae; nequaquam tamen sim-

(1) *C. 11. ex. de probationib.*

officium sit non solum acta in tabulas referre sub data illius diei, quo decreta, mandata facta etc. fuerint; sed et eadem fideliter custodire in tabulariis sive archiviis, ut ex his semper veritas depromi queat; addit namque citatum Concilium « partibus tribuantur, » ita quod originalia penes scriptores remaneant; uti » si super processu judicis fuerit suborta contentio, » per haec possit veritas declarari »; 4.° actis a Graphiario scriptis, sive signatis plena fides adhibenda, tametsi nulli praeterea testes adhibeantur, uti post Glossam interpretes ad citatum caput Concilii docent. Quod tamen restringendum ex ipsa Glossa ajunt DD. ad *mera judicialia*, secus in extrajudicialibus. In his tamen standum stylo curiarum, quo requiritur saepe praeter fidem Graphiarii, aut Secretarii, etiam Judicis signatura, aut publicum sigillum; 5.° ex Synod. II Prov. Neap. (1) deposita in archiviis nulli tradant, nisi prius quis a Vicario impetrarit. Salaria, quae ad illos spectant, in Curiis, uti in nostra Neapolitana, constituta reperiuntur.

Demum quae judex imperat, exequuntur *apparitores*, *executores* dicti *cursores* seu *nuncii*, quibus proin citationes, denuntiationes, incarcerationes, custodia, aliaeque hujusmodi executiones expediendae committuntur.

Ab his quae observanda sint, in ordinationibus curiarum videri possunt.

---

pliciter Notarii dicuntur, neque extra dicta negotia possunt instrumenta conficere in qualitate Notariorum, sed habentur, uti Actuarii, Graphiarii extra rem forensem.

(1) *Tit. 12. c. 2.*

CAPUT IV.

DE PROCESSU CIVILI.

PRIMA PARS PROCESSUS QUA CAUSA INSTITUITUR.

De ordine judiciario (a).

Finis praecipuus cujusvis status, et institutae jurisdictionis est, ut cuivis praestetur securitas, tum personae, tum rerum, et jurium ei competentium. Ve-

(a) Ordinis judiciarii origo ab ipsa naturali ratione utique repetenda est, a qua illum gentibus fuisse dictatum Tullius in lib. 2. *de legibus* affirmare non dubitavit, et inter Patres maxime Augustinus in quaest. 67. in Exod. idipsum sentire videtur. Ecquis enim vel solo naturae lumine ductus cum omnibus in rebus, tum vel maxime in judiciis, in quibus hominum fortunae, fama, et ipsa vita in discrimen adducitur, ordinem, quo lex factis, hominumque actionibus applicetur, servandum esse non perspiciet? Hinc nemini mirum esse debet, si Deus ipse, qui per rectam rationem legem naturalem cordibus hominum inscripserat, atque hujusmodi ordinem in judiciis servandum dictaverat, ubi per Moysen populo suo legem scriptam dedit, qua naturae legem vitiis hominum paene ab eorum cordibus obliteratam clarius explicaret, ritus, quos in exercendis judiciis servari vellet, praescribere non omiserit. Atquamvis rectum ordinem in hominum disceptationibus servandum recta jubeat ratio, quae tamen forma, qui ritus, qualisque ordo servandus sit, profecto non praescribit. Quare non unus idemque, sed varius atque diversus fuit hic ordo apud ipsas gentes cultiores. Romani quidem, ut alios populos taceam, duodecim tabulis suas sapientissimas leges consignarunt, atquam normam, quem ordinem in judiciis servari oporteret, nequaquam in his statuendum putarunt. Nobiles, penes quos judicandi potestas erat, actiones legis commenti sunt, quibus non solum judiciarias actiones, sed etiam actus mere legitimos quibusdam formulis atque symbolicis etiam signis exprimendos curarunt. Has formulas, atque signa plebi diu celata voluere, cui tamen id aegerrime ferenti ut pergratum faceret Appii Claudii scriba Gneus Flavius ab eo librum surripiens, quo omnes actionum, atque exceptionum formulas, et symbolica signa sol-s

rum illam consequitur, jus suum in judicio persequendo; idest *actione*, quae judici proponitur, quaeque ab ipso jure non differt, nisi uti effectus a causa; nam

---

nobilibus nota continebantur, illum vulgare non est veritus, idque adeo plebi gratum fuit, ut ipsum quamvis libertini filium, aedilem curulem anno urbis 449 creare non dubitaverit. Hinc jus Flavianum dictum, cui accessit jus Ælianum opus salebrosum, et summa industria confectum, innumerisque formulis, quibus actiones expedire opus erat, refertum, quod summae injuriae ipsi populo esse solebat. Quare factum est, ut Constantinus M. aliique Principes sapientiores, ad ordinem, quem in judiciis prisci sequebantur Episcopi, illud conformare satius duxerint. Quod adeo verum est, ut Cujacius, ut antea dictum est, affirmare potuerit solis fermo canonibus innixum ordinem judiciorum in utroque foro sacro, et profano.

Verum heic quaedam nostrum regnum spectantia addere patrius suadet amor. Sciendum itaque est Romanorum judiciarium ordinem, simul atque lege Julia omnes Italiae populi Romana civitate fuere donati, in hasce nostras regiones fuisse invectum, et quamvis postea Romanum corruisset Imperium, Italiamque primum Erulorum Rex Odeacer, et deinde Gothorum rex Theodoricus occupasset, priscum tamen judiciorum ordinem nequaquam immutatum fuisse, quem nec ipse Alboinus Longobardorum rex tollendum putavit, ubi his regionibus potitus est; et licet postea everso Longobardorum regno, illarum aliae Saracenis, aliae Graecis maritimas urbes obtinentibus, aliae Longobardis ipsis parere essent coactae, atque ignorantia, barbaries, novique mores ubique obtinuissent, judiciarius tamen Romanorum ordo non omnino abrogatus est. Sed haec hactenus de judiciarii ordinis in profanis judiciis servati origine, et progressu. Ad rem nostram redeamus. Judicia in Ecclesia a primordiis suis vix aliquibus formis exercebantur, si ea excipias, quae aequitate, et rerum essentia fundantur. Si quae enim lites animos fidelium exasperabant scindebantque, in ecclesiastico conventu per Episcopum, ejusque Clerum ex aequo, et bono cognoscebantur, et finiebantur, quod diebus lunae plerumque obtinebat, ut qui causa cadebant, et aliquam inde simultatem atque tumorem conciperent, paucos intra dies, saniores facti illum abjicerent, possentque die dominica sacris adesse atque orare, *levantes puras manus sine ira, et disceptatione* juxta Pauli monitum ad Timotheum 1. cap. 2. v. 8. Quod si graviores emergerent controver-

vim adhibere sibique jus dicere nemo potest, quando judex legitimus adest, qui causam cognoscat, et dirimat (a). Ergo qui id, quod suum est, vel sibi debe-

siae haud facili hoc modo finiendae, tum totius dioeceseos presbyteri, aut etiam ipsius provinciae Episcopi in Synodum convocabantur, quarum jam primo volumine argumentum egimus. Nec tamen negandum quod existeret inde in Ecclesia aliquarum *formularum* usus, seu *solemnium verborum populi romani* certis in negotiis, quorum notitiam soli clerici habebant, quasque Marcheulfus monachus octavo saeculo sua collectione edidit. His adde multas etiam *exceptiones* tum adversus actores introductas, tum adversus judices, praesertim spuriis decretalibus ab Isidoro Mercatore sparsis. Quo tempore demum bonorum studiorum zelus refloruit, jus civile Romanum a clericis in curias ecclesiasticas illatum fuit, atque ad juris hujus formam judicia visa sunt expediri.

At Summorum Pontificum fuit judiciorum ordinem populorum usui attemperare, in qua re, ut in plurimis aliis, quantum societati profuerint incredibile dictu est. Innocentius III. Onorius III. Alexander III. Gregorius IX. Bonifacius VI. et Clemens V. Theologi non minus, quam Jurisconsulti eximii ordinem illum ita instruere et conformare studuerunt, ut excessus, et molestia Romani processus, et simul nimia brevitas a barbaris in judiciis inducta, atque non raro justitiae ordinem evertens declinaretur, atque tam felici successu in eo adlaboratum est, ut ordo, quem illi in judiciis ecclesiasticis servandum jusserunt, ab universa Italia, aliisque gentibus brevi receptus fuerit, quod evenisse aetate Gregorii IX. facile ex hujus decretalibus eruitur. Tunc enim primum judiciarius ordo in tribunalibus ecclesiasticis stricte observari coepit, et mox suum fecere tribunalia civilia, uti dictum fuit, unde et Fleury ait Institut. au droit eccles. p. 3. č. 81. « Toute » la procédure des cours séculières vient des canonistes, et qui » voudra l'étudier curieusement doit en chercher les origines » dans les decrétales ».

Nos vero heic non per interrupta Gratiani vestigia, et saepe inversa morari ducimus, sed uno veluti filo integras formas judiciorum interpretabimur ex ipso praesertim Gratiano, ac legibus receptis.

(a) Agere proprie vox est, quam veteres pro expediendis publicis negotiis usurparunt. Heic actio definitur *jus persequendi in*

tur ab adversario interpellato, et volens consequi non potest, neque negotium per transactionem, aut arbitros conficiendum putet, ad forum competens adire debet, ibique judicium instituere, et insuper ordi-

judicio, quod sibi debetur. Jus nimirum non illud, quod nobis competit adversus alium, sed medium, seu remedium quoddam est, quod actiones omnes in rem, et in personas, immo et judicia ipsa complectitur: L. *pecuniae* ff. eod. quo nostra jura exercere, et quod nostrum est, persequi possimus. In judicio civili, et petitorio actio proponitur; in criminali enim vocatur *accusatio*, in possessorio *interdictum*. Quoniam vero actio effectus est juris, sicut jus aliud est *in rem*, aliud in *personam*; actio itidem dividitur in realem, et personalem. *Realis*, seu in rem oritur ex jure reali, vel ex dominio, vocaturque vindicatio generali nomine; si quis autem rem corporalem petat tanquam suam, dicitur *vindicatio in specie*, si autem incorporalem, ex. gr. servitutem praetendat, vocator *confessoria*, si negat alteri servitutem, vel jus corporale, nuncupatur *negatoria*. Adhaec si agatur de dominio ficto, ex jure romano, triplex alia competere potest actio realis scilicet *Publiciana*, quae competit illi, qui rem bona fide sibi traditam accepit a non domino, et ideo repetere illam, quasi praescriptam (quamvis nondum praescripserit) potest a quocunque possessore, qui illam vel nullo, vel infirmiori, quam ipse titulo detinet: *rescissoria*, qua quis repetit rem ab altero jam praescriptam, aeque ac si praescripta non fuisset, adeoque datur ad rescindendam praescriptionem, et facta rescissione ad restitutionem rei: ac *Pauliana*, qua creditor rem a debitore in fraudem creditoris alienatam, non secus ac si alienata non fuisset, repetit, quia jus fingit eam semper in bonis debitoris mansisse. Denique inter actiones reales recensetur *hypothecaria* duplex resultans ex pignore; *serviana* quae datur locanti praedium ad persequendas res a conductore in praedium illatas, utpote, si praedium sit urbanum, tacite oppignoratas pro pensione etc. si vero praedium sit rusticum, opus est oppignoratione expressa; et *quasi serviana*, quae datur cuique creditori ad persequendas res sibi tacite, vel expresse oppignoratas, donec debitum sit solutum. Et sic octo actionis realis species prodeunt. Actio *personalis*, seu in personam, quae dicitur generice *conditio*, oritur ex jure personali, seu ex jure ad rem tanquam debitam ex *contractu*, *vel quasi contractu*, *ex delicto*, *vel quasi delicto*: petitur proin res solum tanquam debita, non tanquam actu

ne procedere; confusione enim obscurantur potius; quam explicantur partium jura. Ordo iste, qui judicium etiam dicitur, et passim *processus* audit, sic definitur: *apta dispositio omnium judicialium actorum ex legis praescripto ordinata, ut coram competente judice, causa cognita, veritas manifestetur, et suum cuique pro jure vindicetur.* Processus duplicis generis est,

---

jam sua. Aliquando autem etiam actio in personam nobis competit *aequitatis causa* a legibus approbatae. Actiones praejudiciales, seu praejudicia tandem, sunt actiones *status*, vel de statu, ceu libertatis, civitatis, familiae, etc. dictae praejudiciales, quia ex his praejudicatis reliqua pendent. Dividitur insuper actio 1.° in *civilem*, quae ex aliqua parte juris civilis; et in *praetoriam* quae ex jure praetorio descendit; 2.° in *rei persecutoriam*, qua quis petit sibi rem reddi vel suam, vel debitam, et in *poenae persecutoriam*, seu poenalem, qua quis petit, ut alter ob delictum condemnetur in poenam sibi tantum applicandam ex. gr. duplum, quadruplum ratione furti; 3.° in actionem *bonae fidei*, in qua judici conceditur potestas arbitrandi, quantum alter alteri ex aequo et bono praestare debeat, etsi expresse inter partes conventum non sit, uti est actio empti, venditi, atquae aliae, quae recensentur §. 18. inst. *de action.* et in actionem *stricti juris*, in qua judex stricte ad verba contrahentium, vel legum attendere debet, nec ipsi ex aequo, et bono extendere, aut arbitrari permittitur ultra verba, uti est actio ex mutuo, et quae ex contractu unilaterali non supponente pactum utrinque obligatorium descendunt; 4.° in *perpetuam*, quae durat tempore longissimo, 30, vel 40 annorum, et in *temporalem*, quae breviori tempore durat, ut actiones *praetoriae*, quae regulariter uno anno, et actio *doli*, quae biennio terminatur; 5.° in *transitorium ad haeredes active*, et est, quae competit haeredibus actoris; *passive* et competit contra haeredes rei, uti sunt actiones ex contractu descendentes, et in non *transitoriam* ad haeredes, uti actiones *ex delicto*, et mere poenales; quatenus enim rei perseeutoriae transirent ad et in haeredes. Demum praeter alias dantur actiones *in factum*, quando nimirum deficit proprium nomen actionis, vel contractus, et tamen aequum est actionem dari. De aliis pro instituti ratione nostra non refert heic dicere.

civilis, si de re civili, *criminalis*, si de criminibus agitur. Processus civilis tres sunt partes ad primam pertinent *Vocatio in jus*, seu *citatio*, quibus accedunt *exceptiones*, *mutuae petitiones*, *et replicationes*, quas sequentibus conclusionibus interpetrabimur. *Litis contestatio*, *juramentum calumniae*, *probationes*, quae aliud continebit caput mediam partem constituunt. Demum judicis sententia et in eam remedia legalia experienda capite etiam distincto enucleanda ultimam partem absolvunt. Eaedem autem sunt fere partes processus criminalis, si poenas addas, quae ad illum proprie spectant, ut deinceps erit videre. Ex his forma ordinarii, sive solemnis processus civilis colligi poterit. Summarii vero processus formam cum ea conferre suis in locis non practermittemus, ut etiam ipse distingui facile possit. Ad extremum de criminali processu instruendo dicemus. Sit itaque

CONCLUSIO PRIMA

De libelli necessitate, ejusque dotibus, et speciebus dicitur.

Ad valorem processus requiritur primum per se, et regulariter libellus, quo actor actionem suam certo ordine judici proponat. Est autem libellus vulgo *istanza* parva scriptura continens claram actoris intentionem, nempe succinctam speciem facti, fundamentum agendi, et petitionem (a). Qui alius est *civilis*,

(a) Non potest ergo remitti consensu partium, et judicis, quia jure communi requiritur, et principaliter ob bonum commune.

seu *conventionalis*, *postulatorius* aut *reconventionalis*, et porrigitur in causis civilibus, alius *querimonialis* sive *accusatorius*, qui datur in causis criminalibus. Clara sit, oportet, intentio, ut reus inde de causa instruatur, eoque edito deliberet, utrum cedere velit, an contendere. Proindeque talis esse debet, ut exinde praeter judicem, qui exterius, actorem, qui in calce scribitur, et reum, appareat 1.° narratio, seu species facti cum suis circumstantiis (a), 2.° causa petendi (b), 3.° conclusio potissimum, quae con-

---

Diximus tamen per se, et regulariter, quia excipitur: 1.° si judex procedat motu proprio, vel summarie, aut in causa executiva; curandum tamen in his, ut actio ore prolata ab actore actis inseratur: reus enim protocolli *copiam* petere potest: neque tunc statim respondere tenetur, sed ad terminum praefigendum, ut praeparatus respondeat; 2.° si neutra pars vult esse Actor; 3.° si agatur de causis levibus, quae mox de plano confici possunt. Addunt, si Episcopus litem clerico intentatam dirimit. c. si quis est c. XI. q. 5.

(a) Itaque si res narrata tanta laboret obscuritate, incongruentiaque, ut reus nosse nequeat, velitne actor jus experiri suum, an cedere, reijcitur libellus; et quidem exceptione obscuritatis, quae ante litem contestatam opponenda est, quum sit actio dilatoria, alias de causa, et actionis forma tacite praesumendus erit reus plene edoctus.

(b) Nimirum quibus de actionibus sermo sit: ita tamen ut si actiones sint *personales*, causa nominatim proponenda est ex. gr. ex deposito, nec satis, si dicatur ex contractu; uno verbo: exprimi debet causa proxima, hoc est, obligatio, et remota, hoc est, titulus, ex quo obligatio orta est. Si tamen tantum remota omittitur, et reus ante litis contestationem non protestetur, valet processus: c. ult. *de libelli oblatione*. Si vero sint *reales*, tunc sufficit actori adserere se dominum esse, licet quomodo sit dominus, non designat, nimirum satis est exprimere causam tantum actionis proximam, puta dominum. c. ult. *de libelli oblatione.*

gruat. Totum hoc continetur sequenti disticho:

Quis, *quid*, *cur*, *coram quo jure petatur*; *et a quo*
Recte compositus quisque libellus erit (a).

Libellus *ineptus*, in quo nec substantialia rite expressa sunt, ita ut jus agendi inde concludi nequeat, aut ineptam causam exprimat, etiam per benignam interpetrationem rejici a judice debet, licet reus nihil opponat, adeoque iste absolvendus est ab instantia, actor vero condemnandus in expensas (1). Si *vitiosus* tantum erit, si scilicet peccet in accidentalibus, sustineri potest, si Reus non excipiat, vel si habeat clausulam, quam salutarem vocant, nempe: *peto mihi jus, et justitiam administrari omni meliori modo, et forma, qua de jure statuto, vel consuetudine fieri potest, ac desuper imploro officium judicis*. Salvat enim haec libelli vitia minora, et obligat judicem, ut actori, si vicerit, adjudicare debeat fructus cum re, et super expensis pronunciare, ad quod neutrum fuisset obligatus, si de fructibus, et expensis specialis mentio facta, et dicta clausula posita non fuisset in libello, aut saltem in litis decursu.

In eodem libello cumulari possunt plures actiones, modo aliunde non sint incompatibiles (2) (b). Immo

(a) In libello querimoniali, seu criminali, cujus objectum est causa criminalis criminaliter tractanda, finis non *interesse* accusatoris, sed vindicta publica reo infligenda, omittitur conclusio, quae est praecipua libelli pars, ex qua genus actionis colligitur, quia lex ipsa concludit, et vel certam delicto poenam determinat, vel judici determinandam reliquit.

(b) Incompatibiles sunt, quae vel ex nullo capite connexionem habent, vel ex eodem fonte descendunt, et ad eundem finem tendunt, ut conditio furtiva, et rei vindicatio ex furto competens: vel contrariae sunt, ut petitio haereditatis ex testamento, et ab intestato.

(1) *C. 15. de judic.*

(2) *L. 11. ff. c. jurisd.*

emendare libellum, quoad accidentalia, manente quoad substantiam eadem actione, semper licet: potest judex talem emendationem praecipere; mutare autem, ita ut nova actio instituatur, post litem contestatam, non aliter licet, nisi ut refusis impensis, integra instantia perimi existimetur, et novo judicio opus sit. Atque hoc casu libelli mutati exceptio reo competit ad hoc, ut prioris instantiae expensas resarciri petat, novumque libellum exhiberi (1) (a).

Effectus libelli oblati, et reo communicati sunt hi nimirum: 1.° obligat porrigentem ad prosequendam causam (2); 2.° contra eundem probat quoad ea, quae in libello sunt asserta (3); 3.° obligat judicem, ut ferat sententiam libello conformem (4), nimirum, ut concordet quoad rem petitam, quoad causam, et quoad institutam actionem.

Ad calcem ejusdem libelli non aliud apponatur, nisi ut parti adversae intimetur; hinc judex, sive ordinarius sit, sive delegatus, in primis rescribit: *Intimetur parti adversae ad finem providendi.* Citari enim jure naturali, et civili debent omnes, de quorum *interesse* agitur; vetat enim ratio naturalis juris non modo, sed et civilis damnari aliquem, qui auditus, et defensus non sit. Simpliciter ergo citatio necessaria saltem ad valorem judicii ducitur (5).

(a) Haec conclusio si in libello nulla, vel anceps sit, rejicitur a judice, quum nonnisi in re certa sententia ferri possit. Inst. lib. 4. tit. 6. *de actionibus.*

(1) *C. 15. l. 21. ff. qui tectum facere etc. l. 56. ff. de jud.*

(2) *Auth. qui semel c. quomodo et quando.*

(3) *Arg. l. 13. c. de non.*

(4) *Arg. l. 18. ff.*

(5) *Ex c. 10. de const. Clement. II. de sent. et re jud.*

Hujus (1) defectum insanabilem Pragmatici appellant; sanari enim non potest judicium sine citatione gestum. Erit autem citatio, actus solemnis, quo reus, actore rogante, judicis auctoritate in judicium vocatur juris experiundi gratia (a). Haec vero quoad formam alia est a *jure*, quando nempe lex, vel canon certum dierum terminum praefigit, intra quem in judicio quis comparere debeat (2): alia ab *homine*, quan-

(a) Veteri jure Romano in jus vocatio in hoc differebat a citatione, quod illa privata auctoritate fiebat, (quae potestas paulatim adempta est,) haec mandato judicis per praeconem, et interdum etiam per edictum. Hodie vocatio in jus, et citatio saepe confunduntur, quamvis vocatio in jus pro prima citatione proprie venit, citatio latius patet, et in singulis actibus judiciariis adhibetur. Observandum vero judicem tantum sibi subditos, et ad comparendum jure obligatos citare posse in loco, ubi exercere jurisdictionem potest cum figura judicii. Citatur vero per servientem Curiae, relicto libelli, vel decreti transumpto, vulgo *copia* in ejus manibus: eove latitante in manibus alicujus certae personae degentis in una, eademque domo ejus solitae habitationis cap. *causam* 9. *de dolo et contum. Rit. 17. Curiae Archiep. Neap.* et coram duobus testibus. De jure scripto autem judex non potest etiam verbaliter citare subditos, quando existunt extra territorium, nisi de consensu eorum, et judicis loci, in quo degunt; quia Clement. 2. *de sent. et re jud.* absolute dicit, sententiam latam contra citatum extra citantis territorium existentem esse nullam ipso jure, et quia ratione jurisdictionis territorialis non potest extra territorium suum existentibus aliquid praecipere ex. gr. ut compareant. Citatio igitur extra locum judicii facienda est litteris in publicam formam cum inserto libelli tenore redactis, sigilloque Curiae munitis, quae vulgo *provisiones*, seu *litterae provisionales pro notificatione* appellantur implorato brachio, seu licentia judicis ejus loci, ubi adsit citandus. Secus dicendum, si jurisdictionem habeat independenter a territorio. De modo citationis ad Sedem Apostolicam conferatur extravag. un. *de dolo, et contum. inter comm.* Quae est constit. Bonifacii VIII. *rem non novam.*

(1) *Ex c. eod.*

(2) *C. 1. de elect. in 6.*

do mandato judicis in jus vocatur (1). Iterum alia est *Realis*, per quam personae securitatis causa apprehenduntur, et arrestantur, ut vulgo dicitur (2): alia *verbalis*, quae fit verbo etc. haec autem subdividitur in *publicam*, qua citatur communitas per aliquod signum publicum, ex. gr. campanam, vocem praeconis, aut edictum ad valvas Ecclesiae, aut portae affixum: et in *privatam*, qua fit privatim, vel in faciem, aut in ejus absentia ad domum coram domesticis voce, vel litteris porrectis, vel ad aedium fores affixis. Insuper alia est *dilatoria*, seu *simplex*; quae de jure decem dies habet, intra quos, si reus non comparet, secunda, et tertia decernitur interjectis semper decem diebus. At jure Decretalium arbitrio judicis pro temporum, et locorum ratione statuuntur (3). Alia vero *peremptoria* (a), quae quoad tempus aequivalet tribus dilatoriis, cum constet triginta diebus, quaeque semel tantum fit, et si reus non comparet, elapsa trigesima die proceditur contra eum tamquam contumacem; ita tamen ut non computetur in hoc termino dies actus, idest, *dies a quo* juxta axioma: *dies termini non computatur in termino* (4). At contra ultimus dies termini *dies ad quem* comprehenditur in termino; hinc eo stante adhuc impletur, quod fieri debet (b) (5). Haec sola fere

(a) Hoc nomen sumpsit, quod *perimeret disceptationem*, idest, *ultra non pateretur adversarium tergiversari.* Ita Ulpianus in l. et tertium 70. ff. *de judic.*

(b) Edictum peremptorium jure civili emittitur post tres simplices citationes, interdum post duas, interdum etiam statim,

(1) *C. 3. de libelli oblat.* (2) *C. 15. de sent. excom. in 6.*

(3) *C. 7. de dolo et contumac.*

(4) *L. 8. C. quomodo, et quando et L. ff. de judiciis.*

(5) *Barbosa axiom. 11. frequens 1. de restit. spoliat. in 6.*

est in usu hodie, cui addi debet *peremptorie*, vel in citatione dicatur: *si citati non comparuerint, nihilominus judicem ad cognitionem processurum, et pronuntiaturum, quod jus, et justitia postulaverint*; aut citatio emittatur a Principe, aut judex proprio ore citet reum. Haec enim habent vim peremptoriae, et trinae citationis.

In citatione ad litem, ut sit legitima, 1.° exprimi praecipue debet nomen judicis, et cognomen, ut constet, an sit competens. Quoniam vero delegatus judex alienam exercet jurisdictionem, citationis decreto inscrendum est exemplum litterarum, quibus ei mandata est causa (1); nec enim alias de ejus jurisdictione reo constare potest. Quod si judex in jus vocans incompetens sit, debet etiam reus comparere, privilegia sua allegaturus; judicis enim est aestimare, num sua jurisdictio sit (2); nisi manifestum sit judicem esse incompetentem. Nomen etiam actoris continere debet citatio, quo instante emittitur, quia tantum in causis publicis judex ex officio procedit (3), itemque nomen rei, ne quis in ancipiti persona decipiatur. 2.° Certus locus etiam exprimendus, quo reus venire, et judici se sistere debeat, quod praecipue obtinet, si judex delegatus sit; ordinarius enim certo loco tribunal habet, dummodo hic extra locum jus dicere nolit (4). Locus vero ipsi citato esse debet tutus: nam cogi reum venire ad locum non tutum jus naturale offendit(5); adhaec et tutus debet esse locus, per quem reo

quod vocatur *unum pro omnibus*, relinquiturque arbitrio judicis ordinem edictorum, et compendium moderari. L. 72. ff. *de judic.*

(1) *C. 2. ex de dilationibus.* (2) *L. 5. ff. de judiciis.*
(3) *C. 9. de accusat.* (4) *L. 59. ff. eod.*
(5) *Clement. II. de sentent. et re jud.*

transeundum est (1); quod si manifestum non sit esse locum non tutum, valet quidem citatio, sed reus demonstrare debet cum sibi locum tutum non esse(2). 3.° Feriatus dies esse non debet (a). Attamen certus sit, oportet, atque arbitrio boni viri a judice constitutus habita ratione distantiae loci, quem incolit reus; iniquum enim esset vocare ad id tempus, quo ipse sui copiam facere non posset; vel saltem cum magno incommodo. 4.° Jure decretalium quamvis non admodum necessarium est vocationis causam exprimere, aut simul libellum reo offerre; omnium tamen pene locorum statutis cautum jam est, aut usu fori receptum, ut causa citationis decreto ipso exprimatur, vel libellus simul reo offeratur.

Effectus citationis plures velut per saturam juvat denique numerare: 1.° facit, ut causa coram judice, qui in jus vocavit, tractanda sit, etsi reus, postquam adesse jussus est, alterius fori esse coeperit (3), 2.° perpetuat juris delegati jurisdictionem etiam post mortem delegantis (4), 3.° rumpit praescriptionem odiosam, seu in odium negligentis inductam, qualis

(a) Feriati dies sunt, quibus fora conquiescunt, eorumque alii religionis causa, alii ad humanum usum sunt instituti, quorum hi sunt feriae messis, et vindemiarum, illi sunt dies devotionum, seu festi dies, quibus religioni vacandum. Acta judicialia in feriis humanis ex partium consensu recte expediuntur; in feriis vero religionis omnino nulla sunt, etsi partium consensu expedita. L. 1. §. 1. ff. *de feriis*. L. 2. in fin. *de feriis* c. ult. *de feriis*. Sed Summus Pontifex etiam ipsa Dominica die acta judicialia recte expedit. c. 6. ex *de dolo et contum*. cap. 15. ex *de accusationibus*.

(1) *C. 4. ex ut lite pend. nihil innovetur.*

(2) *C. 7. de sentent. excom. in 6.*

(3) *L. 7. ff. de judic.*

(4) *C. 20. ex de offic.*

est praescriptio triginta, seu quadraginta annorum (1), 4.° litis pendentiam inducit, et rem, super qua litigatur, actione reali facit litigiosam (2) (a), 5.° proin-

---

(a) Effectus litis pendentiae est, ut id fiat litigiosum, circa quod proprie lis pendet. Hinc si actio est realis super dominio, hoc fit litigiosum; si vero lis moveatur praecise circa possessionem, haec tantum fit litigiosa, non tamen ipsa res, seu proprietas, quae proinde a possessore alienari potest. Ita Brunnem. in *Auth. litigiosa*, et alii. Dein circa illud, quod est litigiosum, non potest, pendente lite, aliquid immutari in praejudicium litigantium, et patet ex rubric. tit. *ne lite pend.* etc. cap. 1. Hinc quae lite pendente attentantur circa rem litigiosam, irrita sunt. Ex his sequitur 1.° quod beneficium litigiosum, lite pendente, non possit transferri in alium, nec alius eligi, vel praesentari c. 2. eod. in 6. 2.° Rescriptum Principis impetratum in praejudicium litigantis, nulla facta mentione litis pendentis, subreptitium est: c. 5. eod. 3.° Etiam lex nova non procedit quoad causam litis pendentis, quia tantum finitis negotiis dat regulam. Cap. ult. *de constit.* 4.° Possessor non obstante litis pendentia uti potest fructibus; possessio enim, et ejus commodum numquam tollitur per litem c. *cum venissent de rest. spol.* In casu tamen dilapidationis sequestratur possessio a possessore, durante lite can. *quia* c. 3. q. 2. 5.° In causa matrimoniali, sive agatur de separatione quoad thorum ob adulterium, sive omnino de dissolutione ob impedimentum dirimens, lite pendente, conjuges non sunt privandi possessione, et usu juris conjugalis, nisi in continenti fiat probatio c. 2. ut lit. etc. Si tamen alterutri notum sit impedimentum, neuter potest exigere, vel reddere debitum, etsi cogatur excommunicatione. Ita DD. Abbas, Barbosa, Gonsalez, Layman, et alii. Ab hac regula, ut lite pendente nihil innovetur, excipe: 1.° si res litigiosa dedicata est sacris, alienatio non rescinditur: dedicans tamen duplum respondere alteri cogitur l. 3. ff. *de reb. litig.* 2.° Si ipsi litigantes in alienationem consentiant, vel si res esset alias peritura; sed tunc requiritur permissio judicis: vel si res jam semel fuit alienata, nec revocata, tunc ulterius alienari potest; etiam permittitur alienari nomine dotis, legati, transactionis, donationis ante nuptias; in haereditate litigio-

(1) *L. 3. et 7. c. de praescript. 50. ann.*

(2) *Clement. II. ut lite pend. Quot litigiosa Cod. de litigiosis.*

deque nec potest alienari, vel aliquid usque ad finem causae innovari, 6.° obligatio est citato comparendi, etsi post citationem mutet domicilium (1), 7.° dat jus procedendi contra contumacem non secus ac si praesens esset.

Indicanda denique restat judici executio citationis, quae dicitur *Notifica* facta per adparitorem, cui credendum illam esse factam, nisi contrarium probetur (a). Si vero extra locum judicii fiet, et tunc duo testes adhibendi sunt, qui subscribant; quod si erint illiterati, eorum nomina ab adparitore ipso describenda sunt in libello, in cujus calce semper jam reo oblatae fiat fides citationis, quae communiter dicitur *Relata* (2).

CONCLUSIO SECUNDA

De Contumacia.

Contumacia dicta a contemptu heic sumitur pro inobedientia erga judicem: uti autem inobediens non est, qui parere non potest, aut justa ex causa non debet; ita tunc nec contumax censetur, aut si forte contumaciae damnatus est, iterum restitui debet. Committitur vero, cum non veniat in judicium citatus

---

sa datur alienari pro impensis funeris, cibariae, familiae, solutione debiti. L. ult. cap. *de litig.* quia hac causae censentur necessariae.

(a) Referat igitur, oportet, ille vel manu sua, vel si scribere nesciat, per actuarii, vel publici cujusvis Notarii calamum *citasse* talem nomine, et cognomine designandum *personaliter*, vel domi relicto exemplo, modo, et forma, prout sibi commissum fuerit.

(1) *C. 8. 9. de accusat.*

(2) *Confer Rapollam de jure Regni Part. II. l. 4. c. 9.*

tribus edictis, aut uno pro tribus, scilicet peremptorio, nec compareat absque ulla causa excusante (1) (a).

(a) Causae excusantes sunt notoria incompetentia judicis, prohibitio proprii magistratus, absentia Reipublicae causa, majoris negotii occupatio, citatio ordinarie ad superius tribunal praeterita prima instantia, inundatio aquarum, nimia loci distantia, uno verbo quidquid accessum reddit, vel impossibilem citato, vel valde difficilem. Quid si non ad praestitutam horam, tamen eodem die comparet? pro contumaci non est habendus. Si die sequenti se sistat, ex arbitrio judicis pendet, utrum pro contumace habendus sit. Attamen resarciendum damnum, quod altera pars ob moram passa est; quae itidem contumaciam accusare potest, pro qua citatio facta est. Judex sententiam per aliquos dies differre, aut praecise in termino citationis ferre potest.

Si certum est citationem ad reum pervenisse, aut ipsum dixisse se nolle venire, contumacia vocatur *vera*; dicitur vero *ficta* vel *praesumpta* **1.°** si non constet, an citatio ad eundem pervenerit, etsi citatus sit domi, vel per publicum edictum, **2.°** non respondendo, vel debite non respondendo, **3.°** recedendo a caepta lite absque judicis venia, **4.°** non parendo judicis mandato. *Interpretativa* demum est, si quis dolo impedit, ne citatio ad se perveniat, vel ne tuto ad ipsius domicilium accedi possit, pro quo casu, quae sit habenda sufficiens citatio, deciditur extravag. un. *de dolo et contum.* Si quis praesumpta contumacia damnatus fuit, cognito impedimento restituitur.

Ordo, quo reus ab actore accusandus sit, ex usu apud nos sic describitur. Prima contumacia incusanda est die proxima sequenti post elapsum terminum ad verbalem actoris postulationem, secus expirabit citatio. Post elapsum exinde triduum prima die juridica citatus non comparens vocatur in *banco* juris, vel voce praeconis, vel praevio sono campanulae secundum stylum Curiae. Atque si nemo responderit ad excusandam citati absentiam, incusatur secunda contumacia, seu ultima, quo tempore obnoxius poenis contumaciae reus declaratur. Notandum tamen, quod non expirat citatio, si secunda contumacia non incusatur post triduum, dummodo in hac urbe infra mensem, extra urbem infra duos menses proponatur, ita ut post dictum mensem elapsum

(1) *L. 53. §. 1. de re judic.*

Non minus reus, quam actor cõntumax esse potest; et actor quidem jure Decretalium, si eo termino, ad quem adversarius citatus est, judici se sistere negligat, condemnatur in expensas, et ad aliam citationem non admittitur, nisi praestita cautione in judicio se sistendi (1). Quod si citatus non comparet Actor, ad causam proceditur, et definitiva sententia profertur (2). Si lite contestata contumaciter idem absit, ejus procurator, si quem reliquerit, appellatur, vel si neminem, aut appellatus venire contempserit; tunc si petit reus, iterum citandus: quod si nec tunc compareat, in arbitrio rei erit, an velit petere se absolvi ab instantia seu ab observatione judicii, vel continuare processum, scilicet recipi suas exceptiones etc. ac ferri sententiam, qua penitus absolvatur a petitione actoris, si tamen judex, qui partes actoris absentis, ut poterit, sustinebit, meliorem causam esse actoris invenerit, pro hoc feret sententiam, simul tamen eundem condemnabit in expensas, quod semper contra contumaces fieri debet (3).

Ad reum contumacem quod spectat, sic distinguendum: lite non contestata in actione in rem, A-

---

amplius non audiatur, nisi forte reus legitime docuerit ex justa causa impedimentum: toto lib. Decretalium *de dolo et contum.* Hinc ad ulteriora in causa proceditur in contumaciam sola parte actoris informante, reo scilicet contumaci, acta singula judicii notificantur non personaliter amplius, nec domi suae, sed per edictum ad valvas Curiae affigendum, et ita producuntur probationes ad substantiam judicii necessariae. Denique his rite absolutis, oportet rursus reum personaliter citari ad audiendum sententiae definitivae tenorem certo die, et sententia eo ipso constituto die, prout juris erit, promulgabitur.

(1) *C. 1. de dolo et contum. in 6.*
(2) *C. 3. de dolo et contumac.*
(3) *C. 2. ff. eod.*

ctor mittitur in possessionem rei, de qua disputatur; in actione personali immittitur in possessionem bonorum mobilium ipsius Rei, vel immobilium, si forte mobilia desint, pro debiti quantitate; haec autem possessio, non tam possessio est, quam custodia: ut *taedio affectus reus veniat responsurus*, ait Inn. III. qui etiam addit: *quod si venerit infra annum judicio sisti, praestita cautione, ac exhibita satisfactione congrua expensarum, possessionem recuperat. Quod si cautionem neglexerit infra annum, actor post annum verus constituatur possessor super proprietate, dumtaxat adversae parti defensione legitima reservata.*

Lite contestata si reus contumax evadat, et ex actis liqueat de causa, judex sententia sua litem definiet; si non liqueat, actor in veram possessionem mittitur, salva reo dominii lite, scilicet *servata dumtaxat quaestione proprietatis absenti*, ut citatus Pontifex dicit (1) (a).

Verum si post contractam contumaciam reus in judicio se sistat, atque antequam sententia definitiva pronunciatur, instituerit audiri, decerni ex aequitate solet, quod *refectis collitiganti expensis audiatur*. Excipe tamen minorem, qui non tenetur ad expensas, cum ei restitutio in integrum competat etiam hoc casu, quo contumax judicatur. Eodem jure minoris gaudent Universitates Apostolicae, et maxime Ecclesia. Sunt aliae poenae, in quas condemnari quis pos-

(a) In causis beneficiariis ob rei contumaciam missio in possessionem non decernitur, ne in beneficia vitiosus detur ingressus. can. *de eo qui mittitur in poss.* in 6. Hinc hae causae terminandae sunt.

(1) *C. prout 4. de dolo et contumac.*

sit, quarum mentio est in Decretalibus. Hujusmodi sunt 1.° possessionis sequestratio, quam tantum judex vix dat, ex justa etiam causa decernit, nempe si metus sit, ne res, aut fructus dilapidentur (1) (a); non enim debet regulare judicium a sequestratione inchoari, quae quidem facienda non est, nisi reo prius convicto, aut saltem per probationes juridicas, aut praesumptas per contumaciam (2): 2.° condemnatio in expensas (3), et omnium maxime excommunicatio (4). Hac ex Tridentino (5) coercetur reus, si persona, aut re coerceri nequeat. Nec tamen progrediendum ad excommunicationem, si ordinarium remedium habetur, scilicet, si actor in possessionem immitti possit (6). Insuper poenam, quae magis timetur, judex eliget a principio, ad *alteram nihilominus processurus, si hoc meruerit protervitas contumacis* (7). Quod si reus vocatus in judicium veniat, velitque litigare, idque

---

(a) Si de beneficio agatur contra possessorem non triennalem, et contra ipsum in possessorio, vel petitorio sit lata sententia, sequestratio constituitur. Adhaec juvat observare cum Devoti sequestrum etiam in personas cadere, unde c. 8. et 13. *de rest. spol.* loco sequestri uxores collocantur apud probam, atque honestam mulierem ob insignem mariti saevitiam. Item c. 14. *de sponsal.* cum agitur de sponsalibus, atque metuitur, ne vis puellae inferatur, atque impediatur libertas consensus, eadem collocanda est in domo, in qua omnis timor absit, donec judicium absolutum fuerit de praecipua causa. Jus Pontificium hujus sequestri locum potissimum constituit monasterium cap. 19. *de probat.*

(1) *L. 21. de cappello c. 2. de sequestr poss. et fruct. etc.*
(2) *Un. c. de prohib. sequest. pec.*
(3) *C. quem dilectus 6. de dolo et contum.*
(4) *C. ad haec l. ut lite non contest.*
(5) *Sess. XXV. c. 3. de Reform.*
(6) *C. tuae 7. ex ut lite non contest.* (7) *Cit. cap. tuae.*

fit vel negando actionis fundamentum, vel causam fatendo quidem, sed exceptione adjuncta, de qua fit (a)

CONCLUSIO TERTIA

De exceptionibus disseritur, deque his potiora adferuntur.

Defensio a jure provenit naturali, ejusque facultas nemini adimenda est (1). Hinc exceptiones, quia vim defensionis continent, undecunque sint profectae, na-

---

(a) In praxi si citatus ad se defendendum in jus venire statuit, in calce notificati libelli respondet: *negando narrata prout narrantur, et posita prout ponuntur: instatque semetipsum, vel procuratorem suum N. N. in omnibus audiri, alias protestatur de nullitate actorum omni meliori modo.*

Procurator per reum constitutus, cui ex integro notificari *copia* libelli debet, exceptiones dilatorias objicit, vel peremptorias, et reponit. « Doctor N. procurator N. notificatus hac die. . . inhae» rens replicatis per principalem suum, dicit non esse locum pe» titioni per illum ex juribus voce, et scriptis producendis ». Opponit interim parti adversae exceptiones omnes dilatorias, et peremptorias praesertim etc. « Proinde postulat praefatum N. re» pelli a limine judicii, ipsumque replicantem in omnibus audiri, » ut ipse valeat jura tueri principalis sui, aliaque etc. Vel si ita » res ferat: instat exhiberi omnes scripturas in primo libello me» moratas, intereaque ad ulteriora non esse procedendum. » Vel etc. ».

At observandum quod si probationibus defecturam intentionem actoris confidat, nulla ipsi necessaria est exceptio formalis, satiusque erit generatim, absoluteque omnia negare, quam speciatim excipere. Si autem dubitet de adversarii probationibus, utrumque poterit cumulare: negando primum petita, deinde sub conditione excipiendo hoc, vel illud, probata si apparuerit intentio actoris.

(1) *C. 20. ex de sent. et re jud.*

turalis juris sunt (a). Tempus, quo opponendae sunt exceptiones dilatoriae, quae in specie dicuntur *decli-*

(a) Exceptio dicitur *exclusio* actionis: definitur *exclusio actionis, vel intentionis* (convenitur enim reus saepe etiam ab illo, qui actionem revera non habet) quam actor deducit in judicium ad condemnationem rei. Exceptio 1.° alia vocatur *juris*, alia *facti*: *juris*, si actori competit actio de jure, ex qua tamen iniquum esset condemnare reum; qualis est exceptio doli, metus etc. Si vere non competat actio, et tamen agit, est, et dicitur exceptio *facti*. Si exceptioni aliquid opponat actor, haec oppositio vocatur *replicatio*: responsio, quam ad replicationem dat reus, dicitur *duplicatio*: et quam reddit ad hanc actor, *triplicatio*: si hanc rursus refellat reus, erit *quadruplicatio* etc. 2.° Dividitur in *personalem*, *realem*, et *mixtam*: prima est, quae personam tantum sequitur, et ad haeredes vel fidejussores non transit: secunda competit rei, quam sequitur, proin ad haeredes, et fidejussores transit, talis est exceptio rei judicatae: tertia, quae competit haeredibus non fidejussoribus, uti est restitutio in integrum. 3.° *Temporalis* alia est, cui certum tempus definitum est, intra quod proponi debet: alia *perpetua*, quae alicui longissimo tempore, seu triginta annis competit. Praecipue tamen distinguitur *Dilatoria*, quae simul et temporalis est exceptio, et *peremptoria*, quae et perpetua est. *Dilatoria* actionem, vel intentionem non excludit penitus, sed solum differt, vel suspendit ad tempus, aut transfert in alium locum, et respicit aut personam judicis ex. gr. quod sit incompetens, suspectus etc. vel personam actoris ex. gr. quod sit pupillus, excommunicatus, vel aliunde non habeat personam legitimam standi in judicio, vel personam accessoriam, puta procuratoris, ex. gr. quia procurator esse non possit etc. vel locum judicii quod non sit satis tutus etc. vel tempus ex. gr. quod sit feriatum, quod dies solutionis nondum advenerit etc. vel ipsam denique causam, qualis est exceptio inepti, vel obscuri libelli, petitio incerta etc. *peremptoria* est, quae jus, et actionem actoris, vel quod hic intendit, perimit et omnino tollit, ex. gr. exceptio solutionis, novationis, compensationis, rei judicatae etc. ita ut excipiens penitus absolvatur. Peremptoriarum denique aliae dicuntur *litis finitae*, aliae simpliciter *peremptoriae*, quarum illae impediunt litis ingressum, etsi sunt rei judicatae, transactionis etc. hae litis contestationem non impediunt, qualis est exceptio doli, metus.

natoriae judicii, quae nempe respiciunt personas, vel processus (a), inter exordia litis limitatur, scilicet ante contestatam litem ex utroque jure (1), alias censetur iis renunciatum (2); etenim tendunt ad impediendum judicium. Aliquando etiam post litem contestatam proponi possunt et 1.° si exceptio post litem jam contestatam de novo exorta sit, vel ex facto adversarii, ut est exceptio spolii (b); 2.° si quis sibi protestatione reservaverit jus excipiendi; 3.° si is, qui voluerit eam opponere, fidem faciat juramento, se postmodum ad illius notitiam venisse (3); 4.° si ignorata non fuit exceptio; attamen probari non potuit, ac primum postea probandi facultas acquisita fuit; 5.° si exceptio dilatoria est talis, ut processum retro nullum reddat, uti est exceptio falsi procuratoris etc. 6.° excepi etiam potest post litis contestationem de ineptitudine libelli; 7.° exceptio excommunicationis majoris, in quacumque parte litis opponi potest,

(a) Personas: ceu exceptio judicis incompetentis, litis alibi pendentis, defectus mandati procuratoris etc. Processus: ex. gr. citationis ad causam ultra duas dietas extra dioecesim cap. 7. *de exceptionib.* loci non tuti, termini nimis angusti etc.

(b) Actio spolii naturam induit exceptionis, quam Decretales invexerunt, et respondet interdicto civili *unde vi*. Sed haec in rebus soli tantum, seu immobilibus, illa etiam in rebus obtinet mobilibus. Qui igitur a possessione rei suae dejectus *seu spoliatus est*, non potest conveniri, nisi prius in integrum restituatur, *c. licet l. ex de rest. spoliat.* cum omnibus quoque damnis, et expensis, quae passus est: cap. *gravis* XI ex eod. Nomine autem spoliatoris venit etiam, qui *mandavit spoliari*, *vel spoliationem saltem ratam habuerit:* c. *quum ad Sedem* 16. ex eod. immo qui rei per vim ablatae ab alio possessor est: c. 17. *saepe contigit* ex eod. l. 12. et seq. c. *de except.*

(1) *C. 20. ex de sent. et re jud. l. 12. et seq. cap. de except.*

(2) *C. 20. de sent. et re jud.*

(3) *C. 9. de except.*

ne scilicet *quisquam in periculum animae suae excommunicato communicare cogatur* (1) (a). At non denegatur excommunicato adpellationis remedium, quod est species defensionis; licet reconvenire actorem prohibeatur (2).

Peremptoriae autem exceptiones opponi possunt post litis contestationem ad conclusionem usque in causa; respiciunt enim principale negotium; *regulariter* tamen. Nam illarum aliquae etiam ante ipsam contestationem opponuntur ut 1.° exceptiones improprie dictae ex. gr. solutionis jam factae, praescriptionis etc. 2.° exceptio, cujus veritas notoria est, aut in continenti probari potest; 3.° exceptiones, quae ex specialis legis privilegio litis ingressum impediunt ex. gr. exceptio rei judicatae, transactionis etc. Aliquae etiam post sententiam opponi possunt, uti 1.° exceptio nullitatis ex quacumque causa, 2.° exceptio, quae sententiam rescindit, ex. gr. restitutio in integrum, 3.° exceptiones, quae sententiam quidem directe non impugnant; uti priores hactenus dictae, sed tamen impediunt ejus executionem ex. gr. S. C. Macedoniani, Vellejani, non numeratae pecuniae etc. (b).

(a) Ceterum ne quis hujusmodi exceptione abuteretur, statuit Innocent. IV cap. *Pia* 1. *de except.* ut qui eam opponit « speciem illius et nomen excommunicationis exprimat, sciturus eam » rem se deferre debere in publicam notionem, quam infra octo dierum spatium (die, in quo proponitur, minime computato) probare valeat apertissimis documentis. Quod si non probaverit, judex in causa procedere non omittat, reum in expensas, quas actor ob hoc diebus illis se fecisse docuerit, praehabita taxatione condemnans ».

(b) Omnis exceptio tum dilatoria, tum peremptoria etiam ex

(1) *C. 12. exceptionem ex de exceptionib.*

(2) *C. quam inter 5. ex eod. in 6.*

Demum exceptiones, quae in prima instantia omissae sunt, in secunda opponi possunt (1). Hinc vulgo dicunt in appellatione licitum esse, non deducta deducere, non probata probare. Id tamen locum non habet in exceptionibus dilatoriis; nam iis per litis contestationem censetur regulariter renuntiatum.

Quod formam vero exceptionum pertinet, constat hodie verbis quibuscumque eas proponi scripto, vel viva voce, modo ad acta redigantur. Excipe, nisi exceptio per modum actionis proponatur, uti in exceptione non numeratae pecuniae, quo casu melius in scripto proponitur. Hinc exceptiones, si non sint mere negativae, sed factum contineant ex. gr. solutionem, ex vulgata regula, quod reus excipiendo quasi fiat actor, regulariter ante litis contestationem ab eo probentur, oportet. Nam si essent tales, ut ad ipsa merita causae spectarent, post litis contestationem possent probari. At si in probatione deficiat reus, non hoc ipso censendus est fateri intentionem actoris (2); excipit enim, quia se tuetur contra intentionem actoris, nec confitetur eam pure excipiendo ex. gr. per verbum *solvi*; nam habere potest adhuc sensum alium, nimirum: *Si Cajus mihi tantum dedit*, ego *certo solvi*,

---

actis notoria allegari, et opponi debet; judex enim exceptionem etiam ex actis notoriam attendere, et sic supplere non potest, sed ea non obstante, quia non opposita, debet reum condemnare. Excipe 1.° Excommunicationem actoris excommunicati non tolerati quem ex officio repellet, 2.° omnes illas exceptiones, quae ipso jure elidunt actionem, quando reus ipso jure tutus est, uti exceptiones solutionis, novationis, delegationis, praescriptionis etc. Ita DD.

(1) *L. 4. c. de temporibus et reparat. appell.*

(2) *Ex c. 63. de R. I. in 6.*

quo pacto mutuum non fatetur (a). Demum possunt plures exceptiones, vel simul proponi, vel successive, licet sint diversae juxta legem (1); *nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis sint diversae.* Cui consonant canones (2); modo lex non prohibeat, aut non sint contrariae in facto.

Verum servetur, opus est, ordo in exceptionibus proponendis juxta DD. et quidem primo proponantur eae, quae jurisdictionem judicis impugnant, 2.° quae personam judicis ejusdem respiciunt ex. gr. quia suspectus, infamis etc. 3.° quae sunt contra rescriptum, quia obreptionis vitium patitur, 4.° quae ratione ipsius Rei, causae, loci, vel libelli competant etc.

Contra Reum excipientem replicatione uti potest actor, quae est exceptionis exceptio; excludit enim exceptionem Rei, qui proinde ex illa constituitur actor. Hae autem mutuae petitiones appellantur, quarum titulus est IV. Lib. 2. Decretalium. Hinc non modo de iisdem agere nostrum est, sed et de ordine cognitionum earumdem, quod praestabimus, postquam de praescriptione actum erit, de qua sit

---

(a) Consultum est conditionate, vel disjunctive exceptionem proponere hisce casibus, ex. gr. non memini mihi mutuum esse datum, si tamen datum sit, jam solvi.

(1) *L. 8. ff. de R. I.*

(2) *C. 13. de praescript.*

CONCLUSIO QUARTA

Praescriptionis natura, et fine expositis, conditiones ejus, quaeque praescriptioni subjacent, aut ei sunt contraria, declarantur.

Exceptionum nominatissima species, etsi impropria, peremptoria tamen est praescriptio (a), quae definitur: modus acquirendi jus, vel liberationem aliquam per possessionem continuatam modo, et tempore a legibus definito (b). Praescriptio quoad substantiam juris gentium esse DD. plures contra aliquos non minoris numeri tenent tum ex usu gentium, quae ad evitanda bella ipsis noxia tribuunt proprietatem, et dominium provinciarum, regnorum, urbium iis, qui diu ea possederunt, atque pro dominis agnoscunt, licet forte iniquo bello, vel modo ea sint adepti (c):

(a) Jure antiquo ab usucapione distincta erat praescriptio, quae quasi exceptio illius introducta fuit. At ubi Justinianus rerum *mancipi* et non *mancipi* necnon dominiorum sustulit discrimen pr. Inst. *de usucap.* et l. un. *de usucap. transform.* etc. passim pro synonimis habentur, quo sensu et nos usurpamus.

(b) Recte diximus modum acquirendi jus, ut non tantum dominium significetur praescriptione adquiri, sed etiam jus personale: hinc per illud *το jus* intellige jus tam reale, et dominium; quam personale, quo nobis immediate adstringitur persona: sicut per *τὸ liberationem* intellige peremptionem juris alieni, quo nos adstrictos quis habuit vel immediate in persona, vel immediate in re nostra. Unde praescriptio in *acquisitivam* distinguunt DD. et in *extinctivam*.

(c) Sic Jephte Judic. 2. jus Israelitarum in certas terras defendit contra Ammonitas ex possessione longi, longissimi temporis adeoque ex praescriptione dici posset. Sic et ab aliis nationibus etiam christianis certas provincias licet forte olim non satis aequo Marte occupatas scimus, cum id cederet in perniciem Gentium. Vide Bellarm. l. 5. *de Pont. Rom.* c. 5.

tum ex paritate cum prima rerum, et dominiorum divisione, quae communiter juris gentium habetur (1); sicut enim per primam divisionem acquirebantur; ita per praescriptionem transferuntur, et conservantur dominia; haec autem praescriptio, tum a jure civili, uti colligere licet ex multis, et variis locis, tum a jure canonico, ut titulus de praescriptionibus (2) demonstrat, comprobatur, ita ut ubi praescriptum tempus, et bona fides adsit, etiam in foro conscientiae illa vim habeat suam (3). Haec autem bono publico, et justissimis de causis introducta, et ab utroque jure comprobata fuit, et 1.° ne rerum dominia nimis diu, imo ne semper maneant incerta; 2.° ne lites multiplicentur in infinitum, sed certi temporis lapsu extinquantur, 3.° ut hominum industria in rebus inquirendis, suisque juribus conservandis acuatur, 4.° ut puniatur denique nimia hominum incuria, et negligentia in suis requirendis bonis corrigatur.

Ab utroque jure quinque conditiones requiruntur, ut causa habeatur formalis, et materialis praescriptionis, nimirum bona fides, titulus, possessio, tempus, et res aptae, quae his versiculis breviter comprehenduntur:

Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus:
Possideas juste: completo tempore legis.

Et primum *bona fides*: hanc dices sinceram opinionem, qua quis judicat, se nihil agere contra jus alterius: nempe possidendo rem, exercendo actum, vel

---

(1) *L. 5. ff. de just. et jur.*
(2) *L. II. tit. XXVI. Decretal. et alibi.*
(3) *Confer D. Thom. Quodl. 12. art. 25.*

omittendo (a). *Omne quod non est ex fide*, *peccatum est*, ait Apostolus (1), id est, quod non agitur ex firmo et certo judicio de honestate actionis, ut patet ex contextu, et communi interpretatione. Quod judicium sive bonam fidem ad praescriptionem necessariam esse cavit jus canonicum (2), et quidem toto tempore possessionis (3); cui jus civile contradicit, ab initio tantum possessionis bonam fidem exigens (4) (b), etsi jure municipali semper praesumitur, nisi probatur

(a) Ab illis discedimus DD. qui dicunt bonam fidem, prudentem esse existimationem, et credulitatem, quod res, quam quis possidet, sit sua, vel saltem non aliena; ut definitio conveniat praescriptioni etiam juris incorporalis, et privativae, qua extinquitur jus alienum, necnon ut conformior sit juri in c. 5. et fin. *de praescript.* ubi ad bonam fidem statuitur sufficere ignorantiam sinceram, quod res sit aliena; vel quod aliquis alteri sit obligatus ad aliquid praestandum, vel omittendum, nec opus sit, ut aliquis judicet positive de proprietate rei, quam possidet, sed tantum, ut judicet de licentia actionis, vel omissionis suae; quod judicium fieri etiam poterit ab ignorante rem esse non suam, item a dubitante speculative de proprietate, modo deponat dubium practicum. Dubitat vero speculative heic, qui dubitat, et fluctuat, an res sit sua, vel non, an alter, vel ipse habeat jus, vel an immunis sit ab obligatione agendi, vel omittendi aliquid: si habeat rationes probabiles in utramque partem, vel pro una parte probabiliores, non tamen formet, sed suspendat judicium de proprietate etc.

(b) Decisiones, quae bonam, vel malam fidem spectant, vide apud DD. morales. Hoc unum solum heic observandum quod mala fides a possessore in possessorem non transit singularem ex l. 5. *de divers. temp. praescrip.* et ex comm. DD. nocet vero successori universali; una enim censetur persona cum defuncto juris fictione et c. 11. ff. tit. cit. dicitur: *cum in jus omne defuncti succedit, ignoratione sua, defuncti vitia non excludit.*

(1) *Rom. 14. 53.*

(2) *Cap. 5. cap. 34. q. 2. et 5. c. fin. de praescript. ex Concil. Lat. IV.*

(3) *Ex cap. Vigilanti 5. et quoniam 20. de praescript.*

(4) *L. 48. ff. de acquirend. rer. dom.*

mala fides, quae superveniens scriptura est probanda, quod tamen de foro externo intelligi debet (1). Bona fides vero non vitiatur per dubium superveniens (supposita sufficienti inquisitione), aut per ignorantiam, sive facti, sive juris dubii; at bene, per ignorantiam juris clari saltem resistentis, ne res praescribatur.

Possessio (a): ita diserte jus dicit (2): *sine possessione usucapio contingere non potest*, et alibi (3): *sine possessione praescriptio non procedit.* Unde axiomata habentur: *qui non est capax possidendi, non est capax praescribendi.* Item: *tantum praescribitur, quantum possidetur.* Possessio tamen haec pacifica sit, oportet, publica, certa, titulo proprietatis, idest justa (b), continua, non interrupta (c), et saltem civilis (4).

(a) Definitur: *detentio rei a jure possideri non prohibitae, cum animo eam sibi habendi*, seu ut suam; quae esse potest 1.° *Naturalis*, consistens in actuali rei existentia, ac detentione, et haec omnino requiritur ad inchoandam legitimam praescriptionem, praeter civilem, ob cujus defectum numquam praescribi possunt precarium, commodatum, pignus, res emphyteutica, aut conducta, vel deposita ab eo, qui hoc sub tali titulo possidet, aut ab ejus haerede; 2.° *Civilis* consistens in animo rem possidendi, ut suam, et hoc modo dicitur Dominus absens a re sua, hanc possidere, qui modus sufficit quidem ad continuandam praescriptionem legitime inchoatam. Porro possessio in rebus corporalibus vocatur *vera* aut simpliciter *possessio*; in incorporalibus seu juribus *ficta* dicitur, vel *quasi possessio*. Pro utraque tamen dicta superius intelligenda sunt.

(b) Episcopus in loco a se converso jurisdictionem episcopalem exercet (negligente proprio Episcopo) cum scientia juris alieni; sed non habet possessionem injustam, nec conjunctam cum mala fide.

(c) Tempus a jure decretum pro diversitate rerum, et jurium, quae cadunt sub praescriptionem, ac personarum, contra quas

(1) *Art. 2174. et 2175.* (2) *Cap. 25. ff. de usurp.*

(3) *R. 3. de Ord. in 6.*

(4) *Plur. Rom. LL. et art. 2155. juris municip.*

Titulus. Bona fides, et justa possessio fundantur in titulo; igitur et titulus magis requiri in praescriptio-

---

tendit praescriptio, quaduplex est: *Breve* nempe triennium, et omne quod est infra decem annos: *Longum*, quod est decennium, vicennium, et quod est infra tricennium: *Longissimum* quod triginta annos aequat, vel superat usque ad centum: *Immemoriale* quod est tantum, ut nullus hominum de facto existentium meminerit, vel sciat initium, quo coeperit aliquid fieri, observari, vel possideri 13. ff. *de aqua quotid.* Huic tamen nihil obstat, quod aliter ex documentis, historiis observatum fuerit, alias nec 200 nec 300 anni sufficerent ad tempus immemoriale constituendum. Probatur vero per testes, qui de proprio sensu per 40 annos habito, quod nempe ipsi viderint, vel audierint sic semper fuisse observatum, vel ex. gr. Titium hujus rei possessionem, aut juris, semper vel quasi semper continuasse, testificari debent, ac insuper quod contrarium nunquam viderint, vel ab ullo homine, qui aliter factum fuisse, aut se initium possessionis scivisse dixisset, audierint, item quod communis opinio sit, de contrario usu non costare.

Extant vero peculiares praescriptiones sex mensium, anni, biennii etc. jure municipali ex cod. noviss. part. 1. lib. 3. tit. 21. c. 5. sect. 4. At observandum hisce legibus negatam actionem non praescriptionis ope, sed vi praesumptae solutionis, quapropter in foro conscientiae illae vim non habent. Ex eod. cod. Noviss. Decennium decernitur respectu rerum immobilium, quoad praesentes justo titulo interveniente, vicennium vero quoad absentes. Dicuntur praesentes, qui degunt inter territorium ejusdem magnae Aulae Civilis: vulgo *Gran Corte*; alias dicuntur absentes; at tricennium requiritur, ubi nullus adsit titulus; eodem decennio ab acquisita majori aetate praescribitur quaecumque minoris actio contra tutorem relate ad tutelam art. 398. et actio ad aliquem contractum rescindendum art. 1258. Quinquennio autem praescribuuntur reditus annuales sive sint perpetui, sive ad vitam, pensiones alimentariae, pensiones domorum, vel praediorum, *interesse* mutuorum, et quidquid solvitur ad annum, aut minus ad tempus art. 2183. Hae autem praescriptiones obtinent in foro tantum civili ob defectum bonae fidei. Vicennium respectu earumdem inter absentes requiritur ut dictum est; at si partim praesentes, partim absentes sint, duo anni absentiae reputantur pro uno anno praesentiae. Tricennium sancitur respectu debi-

nibus patet (1) (a); etsi non vero opus sit, quo dominium reipsa in accipientem transfertur; *quia quod*

torum sive rerum mobilium, sive immobilium contra creditores, idque etiam jure municip. articul. 2168. 542. 627. Quo spatio temporis aliquae servitutes similiter praescribuntur art. 611. aliquae vero quinquennio. Tricennium vel quadraginta anni requiruntur, si res sit vitiosa ex. gr. furto ablata non quidem ab ipso fure, sed ab altero, qui rem illam titulo aliquo, excepto immediatae haereditatis, acquisivit. Etiam quadraginta annis opus est respectu rei immobilis pertinentis ad aliquam particularem Ecclesiam, Hospitalitatem, vel Communitatem; triennio vero respectu rei mobilis; sexaginta respectu rei immobilis pertinentis ad Monasteria privilegiata, triennio respectu rei mobilis, centum annis pro rebus immobilibus pertinentibus ad Ecclesiam Romanam: vicennio respectu actionum criminalium computandum a die commissi criminis, quamvis aliqua crimina minoris temporis spatio praescribantur. Posteriores hae praescriptiones jure veteri obtinebant; tamen observandum quod anni primi bonae fidei numerandi sunt cum annis posterioris possessionis bonae fidei.

(a) Titulus est causa de se habilis ad transferendum dominium vel jus, ex quo possidetur, vel aliquid fit. Hinc justus sit, oportet, seu a jure approbatus ad praescribendum. At sufficit 1.° coloratus, qui nempe justus reipsa sit, seu jure approbatus, et ad transferendum jus in re habilis; qui tamen ob impedimentum, illud revera non transfert ex. gr. quia vendens, vel donans dominium ipse non habuit, imo quamvis sit titulus existimatus talis, quando falsa existimatio procedit ex errore justo, seu a legibus tolerato. Jus enim ait art. 2173 *sed id quod quis cum suum esse existimaret, possederit, usucapiet, etiamsi falsa fuerit existimatio; ergo etc.* Error vero justus est, qui versatur circa jus dubium, vel circa factum alienum, aut etiam proprium, ita tamen ut quis sit inductus, aut persuasus ab alio. Error injustus est, qui versatur circa jus certum; nam ignorantia juris certi et manifesti in jure non toleratur, aut circa factum proprium. Quae distinctio bene notanda ad conciliandas leges in speciem contrarias, quae videntur rejicere titulum *existimatum*, et *coloratum* nempe fundatum in ignorantia legis certae, aut in facto proprio. Sufficit etiam regulariter, si titulus sit praesumptus in praescriptione longissimi

(1) *L. 4. c. de praescrip. long. temp.*

proprium est, amplius ejus fieri non potest (1). Qui tamen titulus pro praescriptione decem et viginti annorum sua forma legali non careat, oportet ex jure municipali (2). Verum servitutes continuae apparentes sine titulo, spatio triginta annorum praescriptione adquiruntur (3). Item actiones tam reales, quam personales absque tituli exhibitione praescribuntur (4). Insuper pro praescriptione mobilium possessio valet pro titulo: attamen qui rem aliquam amisit, vel cui fuit res furto ablata, jus habet eam vindicandi e manu tertii possessoris spatio trium annorum a die amissionis, vel furti (5).

Praescriptioni non subjacent omnes res, vel quasi res, aut jura, quae vel ex natura sua, vel jure humano praescribi nequeunt (a).

temporis, ita ut praescribens nullum determinatum titulum assignare, aut si allegat, probare teneatur. Comm. ex lib. 4. cap. *de praescript. 50. vel 40. annorum* c. 6. *de praescript.* etc. dixi regulariter, nisi scilicet jus praesumat malam fidem; tunc enim etiam in longissima (non tamen immemoriali) praesumptione opus est allegare, et probare titulum, ex. gr. si Clericus contra Parochum, vel Parochus in aliena Parochia se praescripsisse decimas asseret cap. 1. *de praescript.* in 6.

(a) Et primo ex natura sua non praescribuntur, quae non sunt in commercio humano §. 1. Inst. *de usucap.* et art. 611. juris munic. vel quae a privatis, aut certo hominum genere, ut propriae possideri non possunt. Puta 1.° res sacrae scilicet sacris usibus applicatae, 2.° res religiosae, uti coemeteria, quamvis jus sepeliendi in iisdem cadavera praescribi possit l. 4. et 6. Cod. l. 6. ff. *de relig.* 3.° sanctae nimirum quae speciali sanctione ab injuria et violatione hominum sunt defensae, 4.° res publicis destinatae usibus ex. gr. forum, via publica, fons etc. 5.° liber homo, 6.° haereditas, vel alia res communis; hanc enim unus haeres contra alios haeredes praescribere

(1) §. *10. Inst. de legat.* (2) *Art. 2173.*

(3) *Art. 611. jur. municip.*

(4) *L. super annali 1.* c. *de annali except. et art. 2168.*

(5) *Art. 2185.*

Denique contraria praescriptioni, vel *praecedunt* eam et ne procedat, efficiunt ex. gr. defectus bonae fidei etc. deque iis jam dictum, vel *superveniunt* ipsi jam caeptae, et cursum impediunt ejusdem, et tunc dicitur eadem vel *dormire*, quando nempe, remoto impedimento, quo cursus ejus suspenditur, tempus praeteritum cum subsequente connectitur, deducto illo, quo duravit impedimentum, puta contra minores praescriptio quoad immobilia, in alienatione fundi dotalis durante matrimonio, in obligationibus conditionalibus (1), et jure sacro in bonis Ecclesiae, quando caret Episcopo, Rectore etc. vel inutilem habet: Tempore hostilitatis seu belli (2), et juxta aliquos tempore pestilentiae, vel dicitur *interrumpi* quando scilicet tempus praeteritum nihil amplius valet (qui

---

nequit ex DD. 7.° beneficia ecclesiastica, si titulum praescribens non habeat, quia sola canonica institutione, et auctoritate superiorum obtinentur, 8.° a laicis jura ecclesiastica, et spiritualia excepto jure patronatus, non possunt praescribi, 9.° matrimonium carnale, quod nec dissolvi, nec coalescere nulla praescriptione potest: ita et matrimonium spirituale seu professio religiosa, 10.° exercitium Ordinis sacri, 11.° exemptio ab obedientia Romani Pontificis vel quam subditi Episcopo, Principi, legitimo Superiori debent. Jure positivo praescribi non possunt 1.° Limites Parochiarum, et Episcopatuum, 2.° jura, quae Principibus debentur et competunt in recognitionem Supremi Principatus, 3.° res pupillorum durante pupillari aetate, 4.° potestas conferendi Sacramenta Confirmationis, et Ordinis, quia sunt reservata Episcopis, 5.° quoad visitationem Ecclesiae a quocunque Praelato ecclesiastico faciendam, et potestatem exigendi procurationes pro tempore actualis visitationis praescribi non potest juxta aliquos DD. quod tamen ultimum alii ab Trid. sess. 24. c. 3. *de reform.* saltem conditionate negant, 6.° res vitiosae demum antequam vitio purgentur; licet per extraordinariam sive per 30 annorum prascriptionem. Ita DD. et jura, quae apud illos est invenire.

(1) *Cod. noviss. pars. 1. l. 3. tit. 21. c. 4. sect. 2.*

(2) *C. Ex transmissa 10. de praescrip.*

casus interruptionis dicitur *usurpatio*), vel completam *rescindunt*, uti sola fere est *restitutio in integrum*.

Interrumpitur praescriptio *naturaliter*, quando post eam inchoatam deficere coepit unum ex substantialibus ejus ex. gr. superveniente mala fide etc. vel cum civilis possessio ultra annum deficiat, et haec interruptio prodest omnibus, contra quos cursus erat praescriptionis (1); *Civiliter* aliquo actu judiciali, quo praescribens interpellatur ex. gr. citatione, litis contestatione aut aliquo praecepto, vel sequestro indicto possessori etc. (2) quae prosunt tantum ei, qui actum exercuit judicialem.

CONCLUSIO QUINTA

Mutuae, et plus petitiones *enucleantur*, *de eisdem quid jura decernant*, *aperitur*.

Mutuis petitionibus intelliguntur *conventio*, quam instituit adversus reum actor, et *reconventio* scilicet actio, quae a reo convento in eodem judicio contra actorem instituitur, idque, sive actione in personam sive actione in rem reus sit conventus, sive diversa sit causa; reconvenire enim quilibet reus potest suum actorem, modo standi in judicio ille sit capax (3)(a), ipsaque aequitas suadet, ut quis patiatur eundem ju-

(a) Reconventio est actio ; hinc quibus agendi jus non est, nec et reconvenire possunt. Inde excommunicatus etsi recte excipiat, ne indefensus damnetur, inutiliter tamen mutuo agit.

(1) *Lib. Possideri 3. ff. de acq. vel amittend. possess. art. 2143, et 49.*

(2) *L. Morae litis 76. c. de rei vindic. et art. 2148. 2150. et seq.*

(3) *Ex L. 14. de sent. et interlocut.*

dicem, ad quem traxit adversarium: *quod quisque juris in alterum statuit, eodem ipse utatar* (1). Ut causae *ambae deductae, vicissimque tractatae simul eadem sententia terminentur* (2). Non enim mutua petitione reus excludit actoris intentionem, quod est proprium exceptionis stricte sumptae, sed potius intendit specie quadam compensationis se tueri, et ipsam actionem retundere. Itaque proposita reconventio initio litis, ante vel immediate post litis contestationem duplicem operatur effectum. 1.° simultatem processus, ita ut utraque causa simul tractetur (3), 2.° prorogat jurisdictionem, seu judicem, qui alias respectu actoris non fuisset competens, facit competentem, ita ut actor coram eodem judice teneatur respondere reo, si hunc velit sibi respondere (4). At si id fiat post alios actus judiciales, prorogatur quidem judicis jurisdictio, ut de mutua causa possit cognoscere, sed utraque causa uno judicio non tractatur (5).

Quoniam vero actoris, et rei mutuo agentis par esse debet conditio, nec actor diverso jure ac reus, judicari (6), ideo si actori ex rescripto Pontificis datus sit judex, qui remota appellatione cognoscat; delegatus judex sine appellatione etiam mutuae petitionis cognoscere debet (7). Hic vero si *motu proprio*, et non precibus reconventi datus sit, quum actor judi-

---

(1) *Rubr. et l. 1. ff. quod quisquam juris.*
(2) *Glossa Clement. saepe contigit 11. de verb. signif.*
(3) *C. 1. de mut. petit.*
(4) *C. 1. 2. eod. l. 14. c. de sent. et interloc.*
(5) *Gonsalez in cit. c. 1.*
(6) *L. ult. c. de fructib. et litium expensis.*
(7) *C. 2. ex de mutuis petitionib.*

cem istum non elegerit, sed fortuito sortitus sit, apud eundem mutuo recte non agitur (1) (a).

Ceterum etsi jure civili contra actoris replicationem reus duplicationem proponere possit, quae et per triplicationem iterum ab Actore, et haec per quatruplicationem queat a reo oppugnari; in Foro Ecclesiastico tamen hujusmodi protractiones litis non tolerantur, sed his finem statim judex imponit.

At quid si ultra debitum ab actore petatur? Jus sacrum sic statuit (2): *Punitur importunitas plus petentium, si super petitione non duxerint in judicio persistendum.* Id ipsum decernit jus civile (3) (b), at reus plus petens damnatur, si dolose, hoc est, scienter, et sine justa causa, non errore, vel ignorantia probabili, aut debitore de fuga suspecto, vel loco constituto nunquam praesente, et insistens suae petitioni petat; si enim ante litis contestationem, vel probabilius

---

(a) Excipiuntur tamen 1.° causae a jurisdictione judicis coram quo facta est conventio, exemptae, uti causae spirituales respectu judicis laici; 2.° omnes causae executivae, quae scilicet paratam habent executionem et celeritatem judicii exigunt, uti si debitum est liquidum, si agatur super deposito c. ult. *ex de deposito spolio etc.* In causa criminis reconventioni locus non patet, can. *Episcopos* 1. c. 3, q. 1. et alibi; necesse enim est, ut non relatione criminum, sed innocentia reus purgetur. L. si quis 9. ff. *de publ. judic.*

(b) *Plus petitur causa, vel tempore, reque, locoque.* Quem versiculum sic interpretari solent DD. *Causa*, si quis petet determinate, quod debetur disjunctive, aut speciem loco generis ex. gr. petitur hic equus, dum aliquis debetur equus, aut 60 floreni debentur, et equus petitur. *Tempore*, si petat actor ante tempus, quam urgeat obligatio. *Re*, si major petatur summa, quam debeatur. *Loco* plus petitur, si in alio loco solutio petitur, atque ipsa conventa fuit.

(1) *Confer idem Gonsalez cit. loc.*

(2) *Tit. XI. lib. II. Decretal.* (3) *Tit. X. lib. III. Cod. Just.*

ante sententiam mutet libellum (1), vel reus exceptionem plus petentis non opponat, rursus liber erit. Est observandum tamen quod poenae legibus impositae plus petenti vix in usu sint; quas videre est citatis in locis: attamen par non est, ut judex importunitatem illius dimittat impunitam.

Demum ad decretorum eludendam vim, et executionem impediendam, vel omnino submovendam remedia quae sint, cum de appellationibus erit sermo, declarabitur.

CONCLUSIO SEXTA

Ordo cognitionum a judice servandus, necnon dilationes ab eo dandae summatim observantur.

Ex reconventione interim, sicut et ex variis partium exceptionibus plures in eodem judicio nascuntur quaestiones, et causae certo ordine tractandae, qui *ordo cognitionum* dicitur (2). Hunc ex regulis, quas jus, et ratio ipsa statuit, pendere constat, quorum 1.ª est: *Quotiescumque plurium causarum, aut quaestionum una pendet ex altera, de hac, ex qua illa pendet, prius cognoscendum est*; nec interest, utrum ab eodem, vel diversis agendo, vel excipiendo fuerit proposita (a). 2.ª Si neutra pendet ab altera, et utra-

(a) Puta quae sit praeparatoria, ut cognitio de possessione ad cognitionem de proprietate, ut constet penes quem sit onus probandi proprietatem, vel praejudicialis ad alteram ex. gr. petis haereditatem paternam, dum alius objecit tibi te non esse filium; vel si qua mulier affirmet se cum certo homine iniisse matrimonium, isque excipiat illud non consistere ob impedimentum cogna-

(1) *C. un. de plus petitionib.*

(2) *C. 1. de dilationib. et l. 1. C. eod.*

que sit principalis, prius proposita, prius tractari debet, et terminari (a). 3.ª De exceptione a reo proposita prius cognoscendum est, quam de causa principali; nam si est exceptio peremptoria, perimit jus agendi (b); si dilatoria, impedit ab agendo (c). Hinc de exceptione dilatoria prius pronuntiandum dicitur, nimirum per sententiam interlocutoriam. De peremptoria prius cognoscendum; sed non pronuntiandum, quia sententia, quae de principali causa fertur, involvit et decisionem de exceptione peremptoria.

Cum vero ordo in judiciis sine tempore teneri non potest: hinc totus processus per aliquot temporis spatia sive terminos distinguatur, oportet. Ab uno termino ad alium intervalla, imo aliquando ipsi termini *dilationes* vocantur, quas in commodum litigantium judex concedit 1.° *ex feriis*, 2.° *ex ordine* cognitionum ideo quia una causa esset anteponenda alteri, 3.° ex aliquo *incidente* quod prius esset solvendum, quam causa istruatur. Definiuntur justum

---

tionis, hisce casibus primo cognosci debet, et pronunciari de filiatione, vel legitimitate, vel cognatione.

(a) Excipe 1.° nisi actor, qui plures proposuit, velit unam citius quam aliam tractari, et finiri, 2.° nisi una sit major altera ex. gr. una criminalis, altera civilis, nisi illa principaliter intentetur, haec incidenter ex. gr. si officium judicis imploretur pro recuperatione rei ablatae, vel refusione expensarum, aut vicissim admittitur cumulatio, idest ut in utraque simul procedatur ex l. 3. c. *de ord. jud.* quando judex nc indirecte quidem super exceptione peremptoria, seu articulo incidente cognoscere potest: ex. gr. quia causa exceptionis est ex obiecto Ecclesiastico, et ipse judex est saecularis, tunc principalis supersedere debet, donec incidens in foro ecclesiastico decisa sit. c. 3. *de ord. cogn.*

(b) Exemplo sit mulier super allata, quae affirmat se inisse matrimonium etc.

(c) Ex. gr. si recuses judicem tamquam suspectum etc.

temporis intervallum ad aliquem actum judicialem melius expediendum, reo, vel actori datum a lege, vel a judice, vel ex conventione partium. Dilatio demum ab actibus judicialibus nominatur citatoria, deliberatoria, probatoria, executoria: ab eo vero, qui eam concessit dicitur legalis, judicialis, conventionalis (a).

(a) *Citatoria* reo citato absenti datur ad comparendum, et habet de jure terminum decem dierum, vel triginta, si distantia vocatorum in jus est magna. Si vero est *simplex*, quando reus non comparet, ter repetitur; si sit *peremptoria*, quae tantum temporis complectitur, quantum ternae simplices, requirit 30 dies, uti antea dictum fuit, dummodo judex hoc exprimat per vocem *peremptorie* vel similem. *Deliberatoria*, quae post oblatum reo libellum indulgetur, ut statuat an cedere vel contendere velit, semel conceditur, nisi justam alleget reus causam cap. 2. eod. et complectitur jure 20 dies, qua tamen opus non est, si libellus una cum citatione sit communicatus reo. *Probatoria*, quae datur a litis contestatione ad positiones, et articulos probandos, atque formandos, vel ad respondendum ipsis, 3 menses de jure indulget ad hoc, 6 menses, si ex aliena provincia probationes excipiendae erunt; nec currit absenti, nisi a die intimata; ejusque tempus est continuum, ita ut currat etiam diebus feriatis l. 3. c. *de dilationib.* nisi feriae absorberent totam, vel majorem partem; tunc enim compensandae sunt. Haec dilatio est in causis civilibus peremptorla, nisi justa subsit causa: tunc enim tertia etiam dari potest l. 7. ff. *de feriis.* In criminalibus plures conceduntur. Est autem communis eadem dilatio, ita ut prosit et alteri, uni data. *Executoria*, qua statuitur, ut condemnatus satisfaciat post sententiam definitivam c. 15. *de sent. et de jud.* extenditur ad 4 menses. Haec autem ordinarie locum non habet in actionibus realibus, et criminalibus.

Legalis, quae a lege, vel consuetudine conceditur, ut intra dies 10 appellari possit, si legitimum probetur impedimentum, non videtur peremptoria arg. l. 22. ff. *de jud.* *Judicialis*, quae non datur, nisi cognita prius causa l. 9. cap. *de dilationib.* etiam arbitraria dicitur: et est alia, quae a judice datur. *Conventionalis*, ex conventione partium datur l. 113. ff. *de v. signif.*

Effectus dilationum sunt hi: 1.° judicis officium conquiescit, adeo ut invalidum sit, quod innovetur, vel fiat, super quo concessa fuit dilatio. 2.° Haec uni concessa parti, prodest etiam alteri litiganti. 3.° Lapsus diei in dilatione praefixi regulariter habet vim sententiae interlocutoriae, qua perimitur actus, qui intra datum terminum fieri debuerat, ita ut judex mox ipso facto ad ulteriora procedere possit. Ita Bart. (1), et alii (a).

Haec, quae de ordinario processu dicta hactenus sunt, ab initio litis ferme unum sunt cum forma processus summarii, paucis exceptis, nimirum si contumax adesse judicio reus spreverit, incusatis in eum *contumaciis* ad instruendum processum et necessarias probationes procedit sola pars actoris singulos actus absenti ad valvas *Curiae* nunciatura. Si autem citatus in judicio venire non abnuat, ea ipsa reponet libello actoris, quae antea adnotata sunt in cursu judicii ordinarii, easdemque objiciet exceptiones, quas suae defensioni congruere putaverit.

(a) In praxi: Judex auditis partibus in contradictorio judicio decernit utrum *adimplendae* exceptiones, suspenso interim judicio; an *reijciendae*, an *reservandae ad merita causae* nimirum usque ad publicationem, aut in *calculo ferendae sententiae*. At objectas exceptiones, et replicationes, si quae fuerunt, utrique parti denunciatas post biduum saltem a notificatione computandum coram sese audiet.

A notificatione vero cujuslibet interlocutorii decreti biduum fere expectandum, ut vim obtineat, et executionem processumque ulteriorem. Quod si ad quodvis decretum hujusmodi exequendum certos dies non costituerit judex, in biduo illud impleri oportet, et expectari, dum conditio effectum nacta fuerit. Ex Javoleni regula in l. inter illam 217. ff. *de verb. signif.*

(1) *In l. 4. c. de dilat. num. 4.*

CAPUT V.

MEDIA PARS PROCESSUS QUA CAUSA INSTITUITUR.

CONCLUSIO PRIMA

Litis contestatione, necessitate, atque speciebus distinctis, casus excepti adnotantur, et effectus illius declarantur.

Discussis, et adimpletis exceptionibus fit *litis contestatio* scilicet (a) *principalis negotii apud judicem competentem facta narratio cum petitione, et ad eam congrua responsio* (1). Fit ergo per congruam petitionem actoris (b), et responsionem rei in judicio, quibus declarant et contestantur voluntatem litigandi. Quae tria sufficit, ut concurrant simultate morali, et nisi verbis, et scriptura secundum stylum Curiae

---

(a) Jure antiquo Quiritium lis contestabatur, quum determinato statu controversiae ob mutuam actoris, et rei narrationem et dato a praetore in causam judice, utraque pars judicium accipiebat, praesentes testes advocans his verbis: *testes estote.* Hinc a testibus dicta est contestatio; contestari enim erat coram testibus aliquid declarare l. 1. ff. *de amovendis et alend. liberis.* Ritus advocandi testes inde desuevit, et contestatio per petitionem in jure propositam, et contradictionem facta est.

(b) *Petitio* est necessaria ad litis contestationem cap. un. *de tit. contest.* et c. 54. *de elect. etc.* Porro ea, quae petuntur ab actore, et reo communiter, vocantur *positiones*, ea vero, quae a reo negantur, et ab actore probanda sunt, vocantur *articuli probatoriales.* Dicitur *apud judicem* seu in judicio facta, quia petitiones, et responsiones extrajudiciales litis contestationem non inducunt cap. cit.

(1) *L. 2. pr. cap. de jur. propt. calumn. lib. 14. §. 1. cod. de judiciis.*

concepta, facto saltem, quo declaretur petitio unius, et contradictio alterius (a). Hanc litis contestationem necessariam *regulariter* utraque jura decernunt ad valorem judicii (1). Revera per contestationem status controversiae definitur, quo nedum constituto judicium esse non potest, indeque nulla erit sententia (2) (b).

(a) Contradictio certa, et non ambigua, nec conditionalis animo quidem litigandi, quia litis contestatio dependet ab animo rei, neque fit, nisi hic respondeat animo procedendi in causa: hinc non sufficit, si reus respondeat affirmative, vel excipiat, sed vel simpliciter negare libellum actoris debet, et ejus narrata; vel si fateatur, quod actor petit, excipiat se jam solvisse, et neget simul se debere solutionem: aliter excipiendo solum fieret actor; nec litis affirmative contestatur.

Hinc quavis exceptione peremptoria deciditur cit. c. 1. et 2. in 6. non intelligi fieri litis contestationem, sed eam fieri debere, quia per eamdem potius valet declinari litis, quam fieri. Illud certum tamen litem non contestari per exceptiones dilatorias, aut declinatorias.

(b) Diximus regulariter, quia non est necessaria in sequentibus causis: 1.° et quidem solemniter in causis summariis tam civilibus, quam spiritualibus Clem. 2. *de V. S. et de judiciis*. Excepta tamen causa matrimoniali, si agitur de crimine adulterii ad separationem tori, vel restitutionem dotis. Hic testes excipi non possunt, nec ferri sententia definitiva ante litem contestatam, licet contumax possit excommunicari ex c. 1. *lite non contestata*. Etenim in tali casu agitur de praejudicio ipsius matrimonii, cujus individua societas, quantum fieri potest, conservanda est, ideoque processus rigidus servandus; 2.° in causa appellationis, modo in prima instantia facta sit; 3.° in causa possessionis recuperandae, si periculum esset in mora juxta communiorem; 4.° quando restituendus est in integrum minorennis tantum per remotionem alicujus obstaculi ex. gr. ut non impediatur in usu servitutis, quam in alterius fundo constitutam habet; 5.° in notoriis causis ac in illis quae sine libello recte expediuntur, et ubi jus agendi, contra certam personam non dirigitur; 6.° in causis, in quibus

(1) *C. un de lit. contest. et l. 1. et auth. offeratur l. eod.*

(2) *L. 4. c. de sentent. et interlocutionib.*

Contestatio fit 1.° *solemniter* et *specifice*, vel *generaliter* et *minus solemniter*, uti contigit in possessionibus summariis, quando narrationi summatim contradicitur, 2.° *Pure*, absque ulla conditione, et *eventualiter*, si respondeat reus sub certa conditione, cui animus alligatus litigandi est, 3.° *Vere*, si aperte, vel tacite ipsa contredictio manifestetur: aut *ficte*, si lis ob contumaciam rei pro certo statu habetur, et quidem aperte, si petitioni actoris opponitur respondendo reus (1), tacite procedentibus partibus ad ulteriora (2) (a).

---

judex procedit ex officio, uti sunt causae inquisitionis; 7.° in aliis causis matrimonialibus juxta plures DD. conformiter Clement. 2. *de judiciis*. Addunt alii causas fiscales spolii, depositi, executionis sententiae, oppositionis et impugnationis examinis testium, alimentorum decurrendorum et quandocumque grave periculum est in mora. Ubi autem contestatio requiritur, eam ultra viginti dies ab oblato libello actor differre non debet.

Observandum tamen quod sic omissa litis contestatione, primus actus judicialis, qui alias ipsam sequitur, vim illius obtinet, non secus ac si judex incipiat consensu partium de meritis causae cognoscere.

(a) *Ut lite non contestata non procedatur vel ad testium receptionem vel ad sententiam definitivam*. Est hic Titulus IV. Decret. Qui tamen patitur etiam exceptiones, quae ex supra dictis colligi possunt: nec interim omittimus observare hic 1.° quod si reus contumaciter absit in causa matrimonii, vel in causa beneficii ecclesiastici ex. gr. electionis, et de tali causa liquido constet, etiam proceditur ad sententiam definitivam; 2.° in casu quo quis timet ne sibi lis moveatur; is petere potest a judice, ut ante omnem litem motam recipiat testes rei gnaros, etsi senes non sint, vel alio profecturi c. 41. 43. *de test.* Nov. 90. c. 9., ne nimirum contingat suo tempore sibi deesse copiam defendendi. Haec receptio testium dicitur fieri *ad perpetuam rei memoriam*; 3.° in casu

(1) *C. Ductum de elect.* §. *licet.*

(2) *Marian in rubric. de tit. contest. Marian ibid. num. 4.*

Effectus litis contestatae est multiplex: 1.° Malam fidem inducit non solum post litem contestatam, sed et post controversiam motam (1), et per ipsam denunciationem (2). 2.° Judex non potest recusari, nisi nova superveniente causa, nec locus est amplius exceptionibus fori declinatoriis, vel dilatoriis, nisi partes ex tunc aliquas voluerint opponere, quas non fuerint protestatae; aut aliqua de novo sibi competens exorta fuerit, aut quis fidem faciat juramento se postmodum ad illius notitiam venisse (3). 3.° Perpetuatur jurisdictio judicis delegati (4). 4.° Non potest amplius mutari libellus. 5.° Actiones temporales fiunt perpetuae, ita ut durent per triginta, vel quadraginta annos: imo actiones poenales transeunt in solidum contra delinquentium haeredes, qui sic fiunt persecutoriae rei (5) non tam ex delicto defuncti, quam quasi contractu ex litis contestatione. Ita DD. (6); qui enim in judicium consentiunt, etiam praesumuntur velle stare judicis sententiae, atque ideo quasi contrahere. 6.° Praescriptio-

---

quo agens in causa civili advertit litis contestationem tam cito fieri non posse, et periculum interim esse ne sibi testes subtrahantur ex. gr. quia sunt valetudinarii, senes, ituri in longe dissitum locum, aut obliturí eorum, de quibus ferre debent testimonium, aut aliter impediendi, hujusmodi testes recipi possunt ante litis contestationem; 4.° si judex per viam inquisitionis procedit ex officio, et si reus citatus neget delictum, statim ad testium receptionem proceditur, quia per illam negationem censetur lis contestata. Sed etiam absque negatione rei proceditur, si is contumaciter absit c. 24. *de accus.*

(1) *L. sed et 25. ff. de haered. petit.*

(2) *L. item 20. ff. eod.*

(3) *Arg. l. 2. ff. de interrogationib. c. 20. de sent. et re jud. et c. pastoralis 4. ex de except.*

(4) *L. 23. c. de procurat. in 6.*

(5) *L. 6. ff. de re judicata.*

(6) *L. 13. ff. de novationib.*

nes interrumpuntur longi temporis post litis contestationem completae (1). 7.° Mandatum in morte mandatoris nullatenus expirat (2). 8.° Fit delegatio, eo quod alius reus dari possit creditori (3). 9.° Desinunt fructus acquiri, adeo ut, si res distrahatur, eadem cum fructibus quoque debeatur (4).

Jure Decretalium etiam petitione apud judicem proposita, eique facta responsione negativa cum animo suscipiendi litem, lis contestatur (5). Hoc in regno (6) contestata intelligitur, quum a magistratu utrique litiganti *terminus ad probandum* assignatur: quod quidem fit, ut judex ipse rite de veritate rei instruatur. Terminus autem sive paullo longior, sive etiam brevior pro lubitu suo a judice dari solet, prout loci, temporis, vel litigantium res postulat (a), qui mos etiam in curiis episcopalibus observatur.

(a) Jure antiquo erat viginti dierum. Quod si nullus certus terminus constitutus sit, viginti etiam dierum datus fuisse creditur. Ad usum est, sic antea dictum, quod revocatur: judex scilicet decernit *quod detur terminus dierum*, vel duorum, vel quatuor, vel plurium *utrique parti ad probandum incumbentia.* Aut altera utatur forma: *quod stantibus adimpletis capiatur informatio supra omnibus hinc inde praetensis.* Post biduum ab istius decreti notificatione decursum judex mandat, *quod partes ambae dent notam examinatorum suspectorum in biduo.* Cujusmodi decreto respondens quisque litigantium *dicit habere illum, et illum suspectos, vel neminem habere suspectum.* Non suspectorum nota vel data, vel elapso termino praetermissa, facit inde *electionem examinatoris.* A die vero notificatae electionis examinatoris currere incipit terminus probatorius. Ita Rosa in prax. civ. decret. p. 1. c. 6. n. 20. Actor in calce decreti termini, antequam illud reo notificatur, *offert reo depositionem suam, et petit*, si velit, *rei depositionem super*

(1) *L. nec bona 10. c. de praes. long. temp.*
(2) *C. relatum 19. ex de offic. et potest. jud. deleg.*
(3) *L. delegare 11. ff. de novat.*
(4) *Cit. l. item.*
(5) *C. un. ex de litis contest.*
(6) *Pag. 111. de ord. jud.*

APPENDIX.

De juramento calumniae.

Lite contestata, vel ante exigebatur a litigantibus *juramentum calumniae* communi utilitate introductum (1), quod non est de substantia ordinis judiciarii (2); ipsi jurabant nimirum 1.° se credere, quod justam foverent causam, ideoque quoad hoc *credulitalis*, non *veritatis* seu scientiae est juramentum, 2.° dicere verum interrogati in judicio, 3.° falsa probatione non uti, 4.° nec aliquid promittere ad corrumpendum judicium, 5.° dilationes superfluas non petere in fraudem, et dilationem litis. His quippe censetur evitari calumnia. Si reus juramentum praestare recusaret, pro confesso habebatur: si actor, ab instituta actione cadebat. Interdum requirebatur juramentum malitiae, quod praestari solitum super non tota causa, sed super exceptionibus, aliisve singularibus articulis, quoties erat praesumptio, quod malitiose agerent litigantes. Clerici etiam jurant de calumnia: at opus est venia summi Pontificis, si Episcopi, antistitis proprii, si inferiores clerici jurare debent (3). Distant a laicis clerici in hoc quod hi *propositis* tantum jurant, illi

---

petitionibus vel praesentatis, vel praesentandis: et praeterea nominat habere testes in loco judicii, aliisque in locis. Reus e contra, ubi notificatur ei decretum termini cum ejusmodi oblatione ac nominatione, reponit: *N. acceptat oblatam depositionem, et vicissim offert suam: nominat habere testes in hoc, et illo loco, pro quibus examinandis petit literas commissoriales in forma.* Quas literas petit tamen, ubi testes extra judicii locum examinandi sunt.

(1) *L. 2. c. de jurejurando propter calumn.*

(2) *C. si de calumnia 1. de jurament. calumn.*

(3) *Cap. 1. ex eod.*

tactis evangeliis. Jure civili jusjurandum hoc necessitatis est (1). Jure Decretalium tacite omitti potest, quo sic omisso ordo judiciarius viribus constat (2). Coeterum moribus praesentibus multis in Curiis obsolevisse hoc idem juramentum videtur, et recte ad perjuria vitanda. Hujus argumentum, si placet videre, est tit. VII. Decretal.

CONCLUSIO SECUNDA

Probationes quales fiant; quid debeat probari, quando, et a quo; effectus demum earundem excutiuntur, adnotanturque.

Expeditis iis, quae hactenus dicta sunt, opus habet judicium probationibus, quibus veritas facti constet; nec enim judici sententiam ferre licet, nisi cognita factorum veritate (3). Est autem probatio hoc loco actus judicialis, quo ab actore, vel reo rei dubiae fit fides (a). Porro sic declarata probatio alia est *judicialis*, quae fit in judicio; alia *extrajudicialis*, quae fit extra illud (b). Iterum alia *artificialis*, quae arte, et industria probantis ex ipsa causa, ejusque circum-

(a) Hinc regulariter probatio tantum versatur circa facta non manifesta saltem judici, vel etiam circa jura particularia; communia enim jura non probantur, sed allegantur, nisi existentia eorumdem vocetur in dubium. Attamen inter probationes referuntur, et ut talia adducuntur.

(b) Ex. gr. probationes, quae adhiberi solent inter homines privatos in contractibus; aut quae recipiuntur ante litem motam ad perpetuam rei memoriam c. 4. *de confirmat. utili*; aut ne copia probationum fortuitis casibus subtrahatur cap. ult. *ut lite non contest.*

(1) *Cit. l. 2.* (2) *Cap. 1. cit.*

(3) *C. 10. c. 30. q. 5.*

stantiis comparatur (a); alia est *inartificialis* et extra causam, et non arte comparatur (b). Utraque subdividitur in plenam, et semi-plenam. *Plena* fidem facit plenam judici nempe liberam ab opinione et formidine de veritate oppositi (c). *Semiplena* est illa per quam judici fit aliqua fides rei gestae, sed non tanta, ut jure eam possit, aut debeat sequi in ferenda sententia, nisi accedat alia semiplena (d). Plena probatio semper ha-

---

(a) Ad hanc pertinent *signa* tum necessaria, tum probabilia; *argumenta* a personis, rebus, ab antecedentibus, conjunctis, conseguentibus, et *exempla*.

(b) Puta: a testibus, tabulis, confessione, juramento, legibus, consuetudine, jure municipali, ac opinione DD. in judiciis recepta.

(c) Ex. gr. instrumentis publicis, literis Apostolicis, in quibus Papa narrat factum proprium, ac in eo gratiam, vel intentionem suam fundat. *Clement. un. de probat. juramentum etc.* In causa limitum dioeceseos per libros antiquos assumere probandi medium nec non per testes, famam, et quaecumque alia adminicula procedi jubetur c. 3. *de probat.*

Fieri potest ut probationes minus plenae conjunctim efficiant plenam. De pluribus adminiculis simul junctis ad faciendam probationem dici solet, *quae non prosunt singula, cuncta juvant.* At non videtur probationis hujus vis extendi ad decidendas causas graviores, ceu criminales, matrimoniales etc.

Ceterum si probationes partium non concordant, tunc praevalet efficacior, qualis est 1.° quae fit modo ordinario; 2.° cui lex specialiter assistit; 3.° magis specialis, aut favorabilis; 4.° quae de re magis verisimili; 5.° omnium validissima est inspectio ocularis rite facta, scilicet auctoritate judicis, et per peritos, ac juratos.

(d) Uti est depositio unius testis pro reo, vel actore, quando fit comparatio jurium, cum de scriptura dubitatur; vel si scriptura est tantum privata, aut praesumptio non ita urgens. Distinguunt alii DD. plenam a minus plena, quae suos habet gradus nimirum; *semiplena major*, quam faciunt duos testes, quorum alter omni exceptione major est; alter non est: *semiplena*, quam ex. gr. facit unus testis omni exceptione major: *semiplena minor* quam facit unus testis non omni exceptione major.

beri non potest, praesertim de rebus dubiis dudum gestis; major autem, vel minor requiritur probatio pro diversitate causarum (a).

Quid probandum, ex dictis constet, scilicet *facta dubia*, si definiendae controversiae inserviant (quod enim nihil momenti habet, rejicitur); idque sive adfirmentur, sive negentur ex. gr. substitutus, qui petit haereditatem, probare debet, quod scriptus haeres eam non adierit. Adhaec *jus commune*, si notorium non est, et manifestum: *jus particulare* locorum, et personarum, vel particulares *consuetudines* probari debent (1). Probantur item propositiones negantes non directe; quia negationi nulla subest causa; hinc utroque jure dicitur (2) *rei factum negantis probatio nulla est*: sed indirecte ducto argumento ex adjunctis temporis, loci, qualitatis, aut ex propositionibus positivis, quae saepe negativis insunt (b).

(a) Plena requiritur probatio in causa matrimonii dissolvendi; ad impediendum ne contrahatur, minor sufficit; nam agitur de impediendo peccato.

(b) Non ex verbis tantum, sed verborum sensu pendet, utrum pro negativo, aut affirmativo habeatur dictum aliquod. Sic qui dixit *non renuntiavi sponte*, affirmat vim sibi allatam: idem dic de eo, qui ait: « Non sum sub patria potestate etc. » quae proin dicitur negativa *facti praegnans*. Datur etiam *negativa qualitas*, cum qualitas in subjecto, ex. gr. doctrina, aetas negatur. Insuper *negativa juris*, quando negatur de jure aliquod fieri posse ex. gr. electio non fuit canonica. Hinc ex dictis collige haec: 1.° negativa facti pura vulgo dicta *indefinita*, seu quae nullis loci, temporis, aut alterius adminiculi adjunctis circumscribitur, probari non potest, qui enim generaliter negat, nihil ponit, quo negationis ratio reddi potest, nisi confessionem adversarii ex. gr. nego literas de mandato domini a te pervenisse. 2.° Negativa facti praegnans probari debet, si in tacita affirmatione negans fundat intentionem. 3.° Negativa juris probanda est, si negantur ea, quae sunt

(1) *C. 1. de const. in 6. et l. 5. ff. de probat.*

(2) *C. 11. quae ex de probat. L. 13. c. eodem*

Probatio est actus judicialis, ergo praefixo tempore fieri debet (1) (a). Hinc non amplius *regulariter* recipiuntur, postquam conclusum fuit in causa (b). Datur proin terminus a judice, intra quem probationes a litigantibus proponi debent (c). Innocentius III terminum competentem spatium esse dixit viginti dierum vel amplius (2).

Probare debet ille, qui in praejudicium alterius rem dubiam affirmat in judicio, nec pro se habet praesumptionem juris, sive dein sit actor, sive reus (3). Hinc quia regulariter actor, vel accusator affirmat, et reus tantum negat, (quae utriusque juris est regula):

---

de genere permissorum, vel alias competentium ex. gr. canonicus capitularis non habet vocem activam. Secus est, si negantur, quae alias sunt prohibita: tunc affirmanti incumbit probatio. 4.° Si negatur *qualitas quae natura inest* ex. gr. quod homo sit sanae mentis, negans probare debet; secus si accidentalis sit ex. gr. quod sit sufficienter doctus, affirmans probare debet: nisi pro altero stet praesumptio ex. gr. quia promotus jam est. 5.° Qualitates *extrinsecae* ex. gr. divitiae etc. non praesumuntur, sed probandae ab eo sunt, qui intentionem in iis fundat.

(a) Vide quae diximus de dilationibus, et exceptionibus, et litis contestatione.

(b) Excipiuntur proin 1.° causae beneficiales, matrimoniales, et universim quando agitur de animae discrimine; 2.° probatio ad defensionem rei ad ejus probandam innocentiam; 3.° minores, Ecclesia post conclusionem in causa petere possunt restitutionem in integrum, ut ad probandum admittantur, 4.° adhuc confessio partis admittitur, aut probatio per evidentiam rei, et loci adspectum.

(c) Terminus est certa quaedam temporis dilatio, quae jure Decretalium determinata non est, sed pro lubitu judicis assignari solet sive brevior, sive paullo longior prout locorum, temporum, aut partium ratio postulabit.

(1) *Cit. c. 9. eod.*

(2) *C. quid ad 15. extr. de sent. et re jud.*

(3) *L. 19. ff. eod. et l. 1. c. eod.*

Actor debet probare, quia actoris est probare etiam quae negat, si negatio fundamentum petitionis contineat (1), uti ex adnotatis etiam patet. At si reus non simpliciter negat, sed simul excipiat, exceptiones probare tenetur (2) (a). Si quid in articulis probatorialibus praetermissum est, id suppletur per alios articulos, qui vocantur *additionales*.

Effectus probationis sunt 1.° ut judex ferat sententiam secundum probata, saltem si aliunde non habeat notitiam certam de innocentia rei (3); 2.° probationes factae coram uno judice valeant in alio judicio respectu ejusdem causae, et inter easdem personas (4). Acta quoque, et probationes factae inter clericum, et laicum coram saeculari judice probant coram Ecclesiastico, et vicissim (5).

(a) Ab his regulis excipe 1.° si agatur de matrimonio clandestino in locis, ubi adhuc valet. Nam sive vir, sive mulier neget desponsationem ejusmodi factam, viro incumbit probare, eam factam non esse c. 1. *de cland. despont.* Etsi alias jurato viro credatur super copula contra mulierem negantem c. 6. *de despont. impub.* 2.° Si negans sponte in se suscepit onus probandi cap. 1. *de rest. spol.* 3.° Possessio relevat ab onere probandi. 4.° Denegans debet quandoque probare juramento a judice delato. Et hoc loco probationis est c. 2. *de probat.* 5.° Praesumptio stans pro affirmante rejicit onus probandi in negantem l. 24. et 25. ff. eod. nisi tamen negans sit persona infirmioris judicii et imperita ex. gr. agricola, pupillus, minor etc. Quod si uterque possit esse actor, uti in causis communibus ex. gr. *de familia herciscunda*, *finibus regundis*, aut *communi dividundo*, aut si uterque se possessorem asserat, et agat interdicto *uti possidetis*, tunc uterque probare tenetur, ita ut uno probante, is cadat causa, qui non probat; tunc ille obtinet, qui est in possessione, vel antiquiore, vel qui habet titulum meliorem c. 9. eod.

(1) *C. 5. ex de renunt.* (2) *L. 19. ff. de probat.*
(3) *L. 10. ff. de edendo.* (4) *C. ult. de probat.*
(5) *C. 2. de except. in 6. Sanchez 2. de for. compet. in 6.*

CONCLUSIO TERTIA

Speciebus, sive modis probationum distinctis, de confessione agitur, praesertim per positiones promovenda.

Argumenta seu species probationum, quibus facta dubia probari possunt, sunt confessio rei, testes, instrumentum, jusjurandum, ocularis inspectio, Notorium praesumptio. De his sigillatim, et quidem heic de confessione dicemus, quippe quae est omnium probationum major, quum ex ore proprio habeatur.

Confessio, prout hic sumitur, vel voce, vel alio signo facta est attestatio illius, quod ab adversario intenditur (1) quae si judicialis sit sive rei, sive actoris, optima seu plenissima probatio a jure dicitur (a) (2). Confessio judicialis *qualificata*, cui nimirum adjicitur clausula, et qualitas modificans, aut restringens, non potest a judice acceptari quoad substantiam, quin si-

(a) Praecipua divisio confessionis est in *judicialem*, et *extrajudicialem*; judicialis est, quae fit in judicio l. un. c. *de confessis* seu coram judice competente c. 4. ex *de judiciis*; quo nomine venit etiam delegatus, seu commissarius legitime constitutus, item arbiter legitime compromissarius l. 5. c. *de receptis arbitris*, multoque magis ipse Princeps, non item solus actuarius. Haec si fiat cum certa scientia, et libertate procul ab errore facti, quo probato, nulla confessio est c. 3. *de confessis*, denique non vaga, et incerta l. 3. et 6. ff. eod. pro judicato habetur l. 1. ff. eod. ita ut in civilibus non requiratur alia sententia, sed tantum praeceptum de solvendo, saltem si lis non sit contestata l. 1. c. *de confessis*. Extrajudicialis vero est, quae fit extra judicium, nec plene probat, nisi fiat coram adversario, et idoneis, rogatisque testibus. Novel. 90. c. 2.

(1) *L. 2. c. quorum adpellationes recipiantur.*
(2) *L. 5. c. de transactionib.*

mul acceptetur quoad qualitatem adjectam, si qualitas vel per se est connexa, vel contra eam non stat praesumptio juris (1) (a). E contra si qualitas est separata, vel contra eam stet praesumptio juris; potest acceptari confessio quoad substantiam, et reijci quoad qualitatem (2) (b).

Confessio judicialis in criminalibus, si dolose scilicet per fictam promissionem, quaestiones captiosas etc. sit elicita a judice, est nulla ex aequitate, et jure (3). Neque confessio criminosi de se jam confessi probat contra socios, quos fatetur, vel dicit fuisse complices juxta communem: criminosus enim confessus, vel convictus in judicio est infamis; proin non idoneus testis. Nec judex regulariter interrogare potest de sociis (4). Id vero potest in criminibus, quae non committuntur sine complice ex. gr. adulterium etc. in criminalibus natura occultis, et difficilis probationis, aliisque exceptis, nimirum vel valde perniciosis reipublicae, uti simonia etc. in criminalibus, ubi agitur civiliter, aut de crimine futuro etc.

(a) Puta: si quis fatetur vendidisse, sed sub pacto legis commissoriae; vel si fatetur sponsalia contraxisse cum Berta, sed sub conditione, si parentes consenserint.

(b) Puta: si fateris te accepisse mutuum, sed jam solvisse, vel occidisse Cajum, sed causa defensionis. Hinc monent DD. ut si quis qualitatem certo existere sciat, nihil fateatur: sic in casu negetur etiam mutuum scilicet hoc sensu: *propter quod alteri sit obligatus*, similiter occisionem factam *ut propterea sit reus, et puniri possit*: ita enim non sibi imponit obligationem probandi qualitatem, nec tamen secundum praedictos DD. hic mentitur; nam ut ipsi ajunt, petitio in sensu actoris, et interrogatio in sensu judicis principali est falsa, atque ideo recte et cum veritate negatur.

(1) *Ex l. 28. §. 12. ff. de libertat. leg.*

(2) *Ex l. 25. ff. de probat.* (3) *Ex c. 7. de renunt.*

(4) *Ex c. 1. de confessis.*

Confessio judicialis rite facta non potest amplius retractari; quia talis confessio habetur, uti dictum fuit, pro judicato. Excipe tamen nisi revocatio fiat in continenti, scilicet antequam a judicio recedatur, vel confessio redigatur in scripturam (1). Item nisi post intervallum revocare volens probet errore se lapsum, modo error non sit circa factum proprium, vel jus manifestum. Porro utcumque per adversarii confessionem relevantur invicem litigantes ab onere probandi, atque partes seipsas confessione quodammodo damnent, quemadmodum olim ex edicto Praetorio mutuae interrogationes instituebantur, et ex his actiones interrogatoriae dabantur (2); ita jus decretalium *positiones* induxit (3), et ex longaeva consuetudine fori comprobantur, quum assertiones de facto, et singulis curcumstantiis canones confirmarunt (4). Sunt vero quaedam breves assertiones de facto, et singulis facti circumstantiis ab una parte propositae, et ab altera singillatim concedendae vel negandae; ut innotescat, quid deinceps probari, seu qui articuli *probatoriales* formari debeant (a). De his ita Bonifacius VIII (5): *Si*

(a) Rubrica earum ita inscribitur:
» Positiones infrascriptas producit Titius in causa, quam habet » cum Cajo petens super iisdem compelli praedictum ex adverso » principalem ad clare et simpliciter respondendum per verbum » *credo* vel *non credo*, alias decerni quod habeantur pro confessis, » prout deterius erit ei respondere recusanti ». Perbrevibus deinde capitulis fiunt positiones scilicet describuntur singula facta,

(1) *Arg. c. 7. de test. cog.*

(2) *L. toties 1. ff. de interrog. in jure faciendis.*

(3) *Primum apud Greg. IX. memorantur positiones et responsiones tum c. olim un. ex de lilis contest. tum c. dudum 14. ex de elect. etc.*

(4) *Clement. de V. S.*

(5) *C. si post 2. de confess. in 6.*

post praestitum veritatis, aut calumniae juramentum reus, vel procurator ipsius, positionibus adversario sibi factis interrogatus, jussusque a judice respondere absque rationabili causa recuset, aut nolit, seu contumaciter se absentet; haberi debet super his, de quibus in eisdem positionibus interrogatus extitit, pro confesso. Hinc patet 1.° jussum judicis requiri, ut reus respondeat, 2.° rationabilem adesse posse causam, quin hic respondeat, fortasse quia captiosae sint positiones, perplexae, nihilque causae ipsi convenientes; 3.° ipsum, si sine justa causa recuset, haberi pro confesso.

Accepto responso fiunt articuli probatoriales, vel statim post propositam actionem, factamque exceptionem ad probandum id, quod adversarius negavit, pars accingitur.

---

quae continent vel extrema judicii actori probanda, vel exceptiones rei; ut si hic adversarium a judicii limine repulsurus per dilatoriam exceptionem excommunicationis ponat hoc modo: Pono quod percussisti talem. Item, quod in tali parte corporis. Item, quod tali die. Item, quod talibus praesentibus. Item, quod turbatus ex tali causa percussisti illum. Item, quod tunc ille erat clericus et in possessione clericatus. Item, quod sciebas illum esse. Item, quod vidisti eum tonsuram, et habitum clericalem deferentem. Est hoc exemplum Glossae in c. *de confessis* in 6. v. *statuimus.*

Adversarius principalis vel ejus procurator intra decem dies a Prag. ann. 1738 art. 22. praefixos deponere super singulis depositionibus debet simpliciter per verbum *credo* vel non *credo ut ponitur.* Quamobrem ei, qui deponere recuset, vel negligat, duobus fere praeceptis mandatur, scilicet primo, *quod Cajus deponat in biduo, vel intra tot dies super positionibus a Tito praesentatis, alias providebitur, quod habeantur pro confessis prout deterius*; secundo, quod in alio biduo cum effectu, praecise, et peremptorie deponat; alias habeantur pro confessis prout deterius ei erit.

Jure municipali novo Prag. cit. cautum est judicii cursum nul-

CONCLUSIO QUARTA

De testium qualitate, et numero disseritur.

Testis dicitur persona idonea, quae ad rei alicujus fidem faciendam legitime evocata, depositionem perhibet (1). Idonea censetur, et omni exceptione major ea, cui nihil potest judicialiter opponi. Rejiciuntur ergo 1.° alii *nátura* defectu sensuum, intellectus, vel insufficientis attentionis uti mentecapti, furiosi, impuberes, et in causis criminalibus ordinarie viginti annis minores (2) (a); item coeci, quia testimonium eorum vacillat in iis, quae auditu percipiuntur (3), Foeminae admittuntur testes in causis civilibus non admodum arduis; item in criminalibus, si aliunde veritas detegi non possit (4). Jus civile indistincte eas admittit (5). 2.° *Conditione et vili statu* non admittuntur familiares, domestici, pauperes. *Propter inopiam multi deliquerunt*, ait Scriptura (6). 3.° *vita infames* repelluntur

latenus impediri, tam si ante, quam si post litem contestatam petatur depositio super positionibus. Jure communi ad probandum terminus non decurrit pendente depositione.

(a) In causa criminali sicut argumenta requiruntur omni exceptione majora, ita et testes omnino idonei: neque ex pluribus imperfectis unum perfectum, et plenum argumentum censetur. Judex tamen arbitrari debet, quanta fides sit illis adhibenda. In criminibus igitur, exceptis laesae majestatis, haeresis etc. ubi audiuntur etiam illi, qui alias non admittuntur, impuberis testimonium valet ad detegenda potius indicia ipsorum, et ad inquirendum.

(1) *L. 1. l. 5. ff. de testib.* (2) *L. 20. ff. eod.*

(3) *Can. 15. c. 3. q. 9.*

(4) *C. 3. ex de test. c. 17. c. 33. q. 5. Confer Gonzalez in cit. cap. 3.*

(5) *L. 8. ff. eod.*

(6) *Eccl. c. 27. v. 1. cit. c. 9. de prob.*

sive juris, sive facti saltem in criminalibus, et civilibus arduis; (nam actus legitimi infamibus sunt interdicti): tales sunt criminibus convicti sive in civilibus, sive in criminalibus ex. gr. homicidae, fures, malefici, adulteri, perjuri etc. (1). Crimen, et judicium criminale praecedens, vel pendens contra aliquem, ipsum testem non idoneum reddit. Pariter pendente accusatione repelluntur accusati, imo denuntiati, vel inquisiti in causis criminaliter actis; aut etiam civilibus, ubi testes omni exceptione majores requiruntur (2). 4.° Ratione *censurae, et diversae religionis* excluduntur excommunicati non tolerati (3). Pagani, Judaei, a fide Apostatae contra Christianos non admittuntur (4). Nec laici contra clericos in criminalibus (5), Monachi, nisi in causis Monasterii, deficientibus aliis, admittuntur (6). 5.° *Affectione* Redemptor litium, et continuus litigator tamquam suspectus expellitur (7), nec idoneus in causa propria testis habetur, vel ille cujus interest, quem exitum habeat litis. Hinc procuratores, et advocati in causis, quas susceperunt, repelluntur (8), ac universim, qui ex sua depositione sentire possunt commodum, vel incommodum, honorem, vel verecundiam. Ita communis. Item parens contra filios, hique contra parentes saltem invitos (9) (a). 6.° *Studio partium* excluduntur faventes, vel odio,

(a) Sic in matrimonio praeter Parochum duo, vel tres requiruntur testes. In testamento tres requirebantur etc.

(1) *C. ex parte 7. ex eod.* (2) *C. fin. de testib.*
(3) *C. decernimus de sent. excomm. in 6.*
(4) *C. 17. c. 53. q. 5.* (5) *C. de cetero 14. ex. de test.*
(6) *C. etsi 27. c. de jurejur.*
(7) *C. cum oporteat 19. ex. de accusat.*
(8) *C. Romano 3. de testib. in 6.*
(9) *L. 5. c. eod.*

vel inimicitia prosequentes alteram litigantium partem (1), uti socius sive contractus, sive criminis pro socio praesertim confessus (2) (a).

Quod si inhabilitas testium non sit aperta, Judicis est arbitrari, habita ratione causae, et definire quatenus depositionibus, et exceptionibus partis adversae fides sit habenda, aut quodnam momentum ipsis tribuendum sit.

Testes ad minimum regulariter duo esse debent, cum scriptum sit *in ore duorum, vel trium stet omne verbum* (3); « licet quaedam causae sint, quae plures,

---

(a) Testes de se inhabiles habilitantur ad testificandum 1.° si a partibus rogantur ad testimonium ferendum l. fin. *de test.*; 2.° admittuntur minus idonei testes in causis ubi alii vix haberi possint ex. gr. domestici, familiares, subditi, ubi agatur de furto, adulterio, suppositione partus, simulatione etc. dummodo agatur de debito solum civiliter; criminaliter enim testibus opus est omni exceptione majoribus; 3.° infames ipsi, criminosi, minores, foeminae in criminibus valde perniciosis, et exceptis ex. gr. simoniae, sacrilegii, dilapidationis bonorum Ecclesiae, perduellionis etc. 4.° admittuntur ad probandam innocentiam; puta: uxor ad testandam mariti innocentiam, frater pro fratre, servus pro domino. At non et testes reprobatorii seu refutantes alios; hi enim debent omni exceptione esse majores. Parentes in probanda aetate filii et natalibus; item in aliquo impedimento affinitatis, vel consanguinitatis, nam ut dicitur c. *Videtur* 3. *Qui matrimonium accus. poss. Qui melius recipi debent, quam illi, qui melius sciunt, et quorum est interesse.* 5.° Inhabiles admittuntur, si agatur de peccato vitando ex. gr. de matrimonio primum contrahendo ratione impedimenti, non tamen de matrimonio jam contracto dissolvendo. 6.° Testes ob affectionem, si essent alias valde bonae, et honestae vitae, nec excluduntur.

Observandum denique quod testimonia illorum, qui non omnino repelluntur, supplentur numero, aut gravitate contestium, conjecturis, aut praesumptionibus juris.

(1) *C. 24. cod.*

(2) *C. cum monasterium 1. de confessis.*

(3) *Matth. 18. 16. et c. 3. c. 2. q. 5. ac alibi.*

» quam duos exigant testes, nulla est tamen cau-
» sa, quae unius testimonio quamvis legitimo termi-
» netur ». Ita jure definitur (1). Hinc illud: *unus testis*, *nullus testis* (a).

Quamvis vero testimonio plurium probatio firmior sit, ubi tamen habetur multitudo testium, numerus eorum arbitrio judicis moderandus est jure civili (2), supra quadraginta testes ex utraque parte non possunt afferri jure Decretalium (b) (3).

(a) Canone vel lege aliquando unus testis plenam facit probationem 1.° si partes in unum testem in aliqua certa causa consentiunt l. fin. c. *de fidei commissis*; 2.° si non agatur in praejudicium tertii, et extrajudicialiter ex. gr. si quaeritur an quis sit religiosus, clericus, baptizatus c. 110. *de consecr. dist.* 4. tantae aetatis an Ecclesia sit consecrata c. 16. *de consecr. dist.* 1. 3.° in causis modicis et parvae qualitatis, 4.° in causis, ubi difficile est invenire plures testes, vel saltem difficilo, 5.° uni creditur in probanda confessione, et absolutione ab excommunicatione etc. 6.° quando agitur de peccato vitando ex. gr. probando impedimento matrimonii contrahendi c. 22. *de testib.* et c. 12. *de sponsal.* 7.° in revocatione mandati dummodo revocans simul juret se revocasse c. 3. *de procurat.* 8.° ubi testis proponit in iis quae pertinent ad ejus officium ex. gr. publicus officialis et juratus in rebus ad officium pertinentibus, 9.° ubi imminet peccati periculum ex. gr. ad impediendum, *re adhuc integra* conjugium incestuosum inter consanguineos contrahendum sufficit testimonium matris c. *Licet* cit. Unus testis etiam omni exceptione major etsi regulariter non plane probet, facit tamen praesumptionem et semi-plene probat: unde suppleri potest per aliam semi-plenam probationem ex. gr. per juramentum. Hoc tamen locum non habet in causis beneficialibus, matrimonialibus, criminalibus, aliisque gravioribus, in quibus lex, vel statutum requirit indubitatam probationem, vel si probanda sit consuetudo, aut ultima voluntas. Ita DD.

(b) Testes concordare debent in his, quae exprimuntur sequenti versiculo:

Res, persona, locus, gradus: haec sint consona, tempus.

Testes, qui deponunt super factis diversis, vel eodem facto ;

(1) *C. esset 23. de testib.* (2) *L. 1. ff. eod.*

(3) *Cap. 37. eod.*

CONCLUSIO QUINTA

Forma in usu testium excutitur, et adnotatur.

Formam hanc judiciariam distinguimus in ea, quae exceptionem testium andecedunt; quae eam constituunt, et concomitantur; quaeque postea sequuntur. Et quod antecedentia spectat, alia producentem testes respiciunt, alia judicem, qui eos admittit. Et quidem actor accepto responso ad positiones jam factas proponit certas propositiones, quas articulos probatoriales vocant, ex quibus tamquam praemissis veris deducit, quod probare intendit, quique a positionibus conflati, ut innotescat quid concedat, quidque negat adversarius, ab illis differunt in hoc; quia fiunt non ad respondendum, sed ad probationem faciendam (a). Post articulos ordinatim positos, ipse nominat testes, quos ad eos probandos producit; fit enim non raro, ut actori non jus sed probatio deficiat (b). At probaturus ipse in judi-

at sub diversis circumstantiis loci, temporis, dicuntur *singulares*, nimirum quorum testimonia conjungi non possunt, aut quando ex eorum dictis probatio redditur dubia.

(a) Ex libello, aut ex responso ad positiones reddito formantur articuli ordine positi, praefixi certis numeris, ut quis sit primus, sciatur, secundus, tertius etc. quia cum non omnes et singuli communiter testes super omnes articulos testari possint, ideo specificantur testes, quinam audiri debeant super primo articulo, quinam super secundo etc. Haec specificatio dicitur denominatio testium cum *directorio*; dirigit enim judicem in examine horum instituendo.

(b) Articuli *probatoriales* cum denominatione testium, et *directorio* communicantur parti adversae, quae jam antea ad causam citari debuit; receptio enim testium contra non citatum nulla est, c. 2. *de testib.* Hic autem ex illis sibi communicatis videre potest 1.° an habeat justam exceptienem contra personas testium; inte-

cium testes non adducit, sed inde competens judex debet advocare (a); ultroneo testi non creditur, sed

grum enim est ei opponere, si habeat illam. 2.° *Interrogatoria* potest formare seu certas quaestiones, quas judex testibus proponere debet, ut appareat, an testes consequenter loquantur. Si tamen petita articulorum *copia* pars moretur interrogatoria proferre, decernitur quod N. in biduo exhibeat interrogatoria, alias termino elapso procedatur ad testium examen sine illis. Gloss. in c. 2. *de testib.* in 6. Quae tamen *interrogatoria* non communicantur, ne producendos testes circa illa instruere, vel subornare valeat, imo nec testibus ante examen, ne colludant. Hinc Reus item articulos, quos *reprobatoriales* vocant, offerre judici potest, ut sic super articulis utriusque partis ad testium receptionem procedatur. Super articulis vero adversarii proponere potest *interrogatoria* pertinentia tum ad negotium principale, tum ad id, ut deprehendatur, quam notitiam habeat testis, et quanta ei fides habenda sit.

Quod si pars post productionem testium dubitet, an per exhibitos articulos causam suam sufficienter probaverit, poterit novos exhibere articulos, qui dicuntur *additionales*, modo elogia testium prius non fuerint publicata. c. 25. *de testib.* Imo admittitur etiam post publicationem, si antea super hac probatione contraria instrui non potuit c. 35. eod.

(a) Aliter sentiendum, si agatur de defendendo reo. Attamen testes regulariter non sunt suscipiendi ante litis contestationem ex rubr. et c. 1. cit. *ut lite contestata*, nec post terminum ad probandum assignatum, et multo minus post conclusionem in causa. Excipitur tamen 1.° si causa agitur criminaliter, nam in ea quoad defensionem rei nunquam concluditur, 2.° si causa sit matrimonialis, quae aequiparatur criminali, 3.° si agatur de causa appellationis, 4.° si judex ex officio recipere vult testes pro informatione, vel si partes non opponant, aut si animarum periculum, vel aequitas hoc postulat. Ita communis. Item post publicationem testium non possunt amplius recipi, et examinari alii testes super iisdem articulis, nec potest eorum examen repeti c. 23. et 46. *de testib.* Sed excipitur 1.° si examinatio non fuerit rite facta, aut publicatio fuit invalida, 2.° si agatur de causis criminali, matrimoniali, et beneficiali, 3.° si testes supervenerint peritiores illis, qui jam deposuerunt, 4.° si agitur ad alium finem, quam prius, 5.° si testibus jam publicatis opponitur, quod corrupti falsum dixerint, 6.° si partes

accedant rogati, vel etiam citati; cum testes ad testificandum teneantur, ut partes sua jura probare queant (1) (a).

Ad judicem vero pertinet, ut ante examen testium imprimis litis contestatio fiat; dein ipsos citare debet ad comparandum certo die (b), et ad jurandum, et testi-

consentiant, aut adversa nihil opponat, 7.° si quis probare velit contra evidentiam facti, 8.° si agitur de periculo vitae.

(a) Testem producens tenetur ei quoad expensas eundi, standi, et redeundi, atque ad damna ex. gr. ob amissum domi laborem, etc. nam officium suum nemini damnosum esse debet. At interveniat oportet judicis adprobatio, ne qua fraus fiat. Interim pro veritate dicenda nihil accipere, aut exigere potest, quod si aliquid accepisse probetur, etiam sponte oblatum, falsus reputatur testis. Ita communis ex l. 1. ff. *de falsis*. Verum si testimonium veritatis ipsi damnum afferret, posset aliquid accipere pro ipso damno aut periculo, quod prudenter timet. Ita Lessius lib. 2. cap. 14. num. 65. Denique testes coram tribunali per quindecim dies expectantes, si culpa judicis non examinentur, propria auctoritate abire possunt, nec amplius redire tenentur. L. *Si quando* 19. cap. *de testib.*

(b) Num testes cogendi sint, jure canonico haec videtur statui regula c. 3. *de cogend. testib. Testes, qui interfuerint facto, monendi sunt, non cogendi ad ferendum testimonium veritati.* Excipe tamen 1.° si odio, gratia, vel timore adversae parti se subtrahant c. 1. c. 3. et c. 9. eod. quo casu per censuras etiam ecclesiasticas compelluntur, 2.° si ipsorum testimonium est necessarium, etiam eodem modo compelluntur c. 2. et 3. eod. quamvis agatur de causa criminali cap. 5. eod., 3.° si testes accusatori malitiose subtrahuntur ab accusato c. 4. eod. Adversarius vel tertius impedire non potest idoneos testes a ferendo testimonio per pactum et juramentum: iis enim non obstantibus possunt testificari c. 18. *de testib.* Universim, qui impedire volunt, ne a testibus testimonium perhibeatur veritati, censuris compelluntur c. 33. et 37. *de testib.* Insuper sunt privilegiati a testificando sive exempti ut milites, absentes reipublicae causa l. 8. ff. *de testib.* Impuberes, pupilli. Consanguinei, et affines cogi non possunt saltem in causa criminali contra affines, et consanguineos.

(1) *Arg. l. 25. ff. de procurat.*

monium pro veritate super articulis dicendum, qui ipsis exhibendi sunt. Citare insuper debet et partem adversam ad videndum testes jurare se non ex amore, aut odio, aut commodo aliquo veritatem dicturos (1); injuratis enim testibus non creditur (2), nisi eis jusjurandum adversarius remittat (a) (3). Nisi autem ex justa causa testes venire ad judicem impediantur, quo casu mittatur ad eos, qui interrogat (b) (4), ipse judex interrogare, et examinare eos debeat; quod secundo loco propositum interpretabimur nempe quae comitantur et constituunt formam judiciariam in usu testium.

(a) Sic jurati testes tam in civilibus, quam in criminalibus praesente adversario interrogabuntur l. 19. c. eod. c. 2. ex eod. At jamdiu obtinet in foro, ut testes clam ab judice interrogentur, tantumque prius citatur adversarius, ut adsit, quando jurant.

(b) *Si qui testium*, ait citatus canon, *veletudinarii sunt, et senes, aut paupertate depressi, ita quod non possint ad vestram praesentiam adduci, ad ipsos recipiendos mittatis personas idoneas, et discretas.* Hoc intellige et de muliere honesta, et ceteris, qui ad judicem venire non possunt: ita DD. in idem cit. c. Quod si a loco judicii testes absint, distincta eorum nominatio fit (ubi haec fuerit in calce decreti termini omissa) intra quinque dies ab ejusdem termini notificatione nominandos ex prag. 4. *de dilation.* Inde judex causae eorum examen delegat judici ejus loci, ubi degunt, vel alteri propinquiori, eum si suspectum ejuraverint: expeditque super ea re literas, ut ajunt, *commissionales*, quae usu vigent utroque jure etiam municipali. Istae literae antequam transmittantur, debent parti adversae notificari, ut si velit, aliquem substituat, qui videat jurare testes citatos, alias nullius momenti erit examen. *Commissarius* testes citatos, relatosque, requisito partis adversae substituto ad videndum eos jurare examinat servata forma sibi demandata, eorumque depositiones clausas ad judicem relegantem remittit.

(1) *L. 9. c. de testib.*

(2) *Cap. 35. eod.*

(3) *Cap. 31. ex eod.*

(4) *L. 15. ff. de jurejur. cap. si qui 8. ex. de test.*

Revera advertat, oportet, judex quo vultu, qua constantia, quave animi trepidatione testes deponunt; haec enim ad fidem testium augendam, vel minuendam pertinent, et in acta referenda sunt. Examen vero 1.° coram judice fit, notario praesente (a); 2.° viva voce testis; nam scriptis testimoniis non creditur (1) et quidem in lingua vulgari, secrete, et remotis partibus, ac sigillatim (2); 3.° ordine, primo scilicet de interrogatoriis generalibus, dein de articulis, ac interrogatoriis super quovis articulo exhibitis juxta *directorium* a producente positum; 4.° integre in actis cujuslibet testis dictum transcribi debet, qui in causis gravioribus adscripto nomine proprio illud confirmat; 5.° dein testi praelegendum, et interrogandus, an ita dixerit, ut possit corrigere, si vel ipse, vel scriptor erraverit (3) (b).

Ultimo sequitur formam ipsam decretum *publica-*

(a) Potest tamen judex examinationem ipsam committere personis idoneis, et discretis, quibus articulos examinis communicat c. 8. *de testib.*

(b) Interrogatoria autem sunt *generalia*, uti de nomine, cognomine, patria, aetate, statu, officio etc. an sit producentis domesticus, consanguineus: an sit inductus promissis, odio, an instructus veniat; an cum aliquibus testibus de testimonio contulerit etc. *Specialia* sunt, quae pro causae et articulorum qualitate conficiuntur. Quod si nulla dentur *interrogatoria* a partibus, judex ipse ex officio testem de circumstantiis necessariis interrogare debet, quae his versiculis continentur:

Auditus, visus, persona, scientia, causa,
Fama, locus, tempus num certum, credulitasque
Dum testes recipit judex, haec cuncta notabit.

(1) *L. 3. ff. eod.*
(2) *Heinnecius in Pand. P. IV. c. 5. §. 192.*
(3) *Cap. 6. de test.*

tionis sine praevia citatione ad publicandum, quae citatio in foro laico abolit vix servatur in curiis ecclesiasticis (1).

Post publicationem collitigantibus vicissim licet testium depositiones percontari; et perlegere (a) (2). Super dictis testium publice disputari potest (3), argumentis ex dictis antea petitis, ita tamen ut exceptio, et criminum probatio contra testes jam examinatos exhibeantur, antequam causa per sententiam terminetur (b) (4). Contra testes probatorios pro-

---

(a) Publicatio non est de substantia processus. Si tamen a parte petatur, juste negari non potest. At si testes non secreto, sed coram utraque parte litigante fuerint examinati, nullibi est necessaria. Publicatio testium facta etiam de voluntate partium non reddit validas depositiones testium non rite factas. Testes etiam non publicati probant coram judice, qui ipsos examinavit, uti et coram alio judice prioris successore, aut subrogati. Ita communis. Alius vero judex, qui non est successor judicis examinatoris, non potest eos publicare sine novo examine. Panormitan. in cap. 11. *de testib.* Testes non publicati juxta aliquos DD. non probant in alio judicio, et coram alio judice, nisi sint senes etc. aut ante litem contestatam recepti in perpetuam rei memoriam. Item probant ex consensu partium coram quocunque judice, quia publicatio in favorem partium est introducta, cui possunt renunciare.

(b) Idcirco terminus *repulsae* jure communi petitur post publicationem usque ad sententiam: dummodo ante publicationem praecessit protestatio eam petendi: alias jurari debet, quod non ex malitia, neque calumniandi animo repulsare is intendat, vel quod post publicationem crimina objicienda didicerit, qui volet repulsae terminum petere, atque obtinere cit. c. *praesentem.* Jure Regni petenda est repulsa inter *decem dies* a die traditi processus ad percontandum numerandos ex prag. *cursu dilationum de publ. proces.*

(1) *Ex cap. consuluit 24. de off. et potest. jud. deleg.*

(2) *L. 2. c. de edendo c. praesentium 31. de test.*

(3) *Cap. 15. eod.*

(4) *Celest. III. in cap. 1. de exceptionib.*

duci possunt testes *reprobatorii* (1), et contra hos alii reprobatorii, et non ultra (2).

Licet nulla alia dilatio postea concedatur, scilicet ubi terminus repulsae elapsus sit, id tamen patitur exceptionem; si unus ex collitigantibus sit persona privilegiata ex. gr. minor, aut miserabilis persona, aut pupilli, viduae, virgines, universitates, clerici, congregationes, hospitalia etc. Datur enim his alia dilatio seu *terminus ad plenius probandum*. Nam praesumitur ex inopia neglexisse probationes in termino statuto faciendas. Hic terminus seu *beneficium*, ut jus dicit (3), intra 30 dies petendus est a facta publicatione (4).

CONCLUSIO SEXTA

Vis probandi ex instrumentis, jurejurando, oculari inspectione, et fama subnectitur.

Probatio in judiciis fit etiam instrumentis, scripturis nempe, quae fidem rei controversae faciunt (a). Pu-

---

(a) Instrumentum late sumptum est omnis probatio non tantum per scripturas, sed et per omnia monumenta alia, quae fidem faciunt, et causam instruunt; stricte hic definitur: scriptura ad probandum idonea: strictissime sola instrumenta authentica idest publica, aut quasi publica. Hic stricto sensu accepimus, et aliud est *publicum* quod confectum est a persona publica qua tali seu ratione officii publici cum debitis solemnitatibus. Nov. 73. c. 6. Aliud *privatum* quod non a persona publica sit, nec cum debitis solemnitatibus. Divditur in originale seu *authenticum* et est: Principalis scriptura

(1) *C. 35. de test.* (2) *C. 49. eod.*

(3) *L. minor 36. ff. de minorib. et Prag. XI. tit. de ord. et form. jud.*

(4) *Prag. l. 3. eod.*

blica instrumenta ex forma, et solemnitate juris confecta plenam faciunt probationem etiam in illis causis, in

primo super aliquo negotio confecta. *Exemplum* seu copia est illud quod ex originali transcribitur, sive manu publica fiat, sive privata. Ita communis in auth. *si quis* c. *de edendo* et l. 2. ff. *de fide instrum.* Instrumentum publicum subdividitur in *judiciale*, quod fit apud acta, et in judicio judico auctore; et *extrajudiciale* quod fit a notario super contractibus extra judicium. Insuper inter instrumenta publica adnumerantur 1.° *Protocollum* seu summaria quaedam rei gestae, aut narratae annotatio, memoriae causa facta; uti et *transumptum* seu instrumentum authenticum et originale quod ex *Protocollo* solemni forma; transcribitur, rem non summarie, sed plene exponens; 2.° illud quod a notarii manu conficitur sive in, sive extra judicium; uti et scriptura publico sigillo ex. gr. universitatis munita, vel principis etc. etiam si a privato sit scripta. 3.° Scriptura qualiscunque etiam privata, sed interveniento magistratus auctoritate publicata: uti cum instrumenta auctoritato judicis aperiuntur; 4.° scriptura quaevis ex Archivio publico extracta, aut quae fit apud acta publica; 5.° denique quae subscripta est a scribente, et testibus; nam etsi ejusmodi scriptura publica reipsa non sit, in judicio tamen fidem facit vel publicum instrumentum.

Privatum aliud est *authenticum*, quod conficitur a duobus loco tabellionis in judicio assumptis, vel cui est appensum sigillum authenticum ex. gr. Episcopi, Praelati, Collegii etc., vel quod confectum manu privata, subscriptum tamen est a tribus testibus adhuc viventibus, vel quod a judice ex originali desumptum est. At quia authenticum et publicum idem sunt, scripturae hujusmodi authenticatae a pluribus DD. instrumentis publicis adnumerantur. Aliud non *authenticum* instrumentum, et est omnis scriptura, quae non habet auctoritatem ex uno ex enumeratis modis: hinc plenam non facit probationem. Hujus plures species enumerantur *Apocha*, qua creditor testatur sibi solutionem esse factam: *Antapocha*, qua debitor, cujus sunt rationes seu libri rationum dati, et accepti testatur, se solutionem fecisse: *Chirographum* est epistola seu literae, quas quis absenti mittit, et fatetur se debere: *Syngraphum* quod fit in contractibus bilateralibus manu eorum, qui contrahunt, ad quod referri possunt bacilli lignei fixi incisis transversum crenis, quorum unum apud se tenet emptor, alterum venditor: si conjugantur, et crenae utriusque respondeant, patet debitum.

quibus alias requiruntur plures, quam duo testes, modo authentica ipsa seu originaria producantur (1); exemplo enim non facile creditur, nisi legitime cum authentico conferatur, constetque cum eo probe convenire (2).

Acta judicialia plene probant rem ita gestam etc. prout in actis scriptum reperitur, et non tantum contra partes, sed etiam respectu aliarum personarum (3) (a). Scripturae inventae, et depromptae ex Archivio publico faciunt plenam probationem, etiam inter non subditos: nec requiritur, ut sint adnotatae, vel subscriptae manu Archivarii, modo constet desumptas esse ex archivio publico (4). Libri quoque rationum, ac alii conscripti a publicis officialibus auctoritate publica deputatis plene etiam probant quoad ea, quae ad officium ejusmodi officialis pertinent; nam fidem merentur, qui publica auctoritate sunt constituti. Et hoc juxta Panorm. et alios procedit, etsi esset statutum, quo cautum sit, quod aliquid probari non possit nisi per instrumentum (b).

(a) Citatio, satisdatio, litis contestatio, aliaque acta judicii ordinaria in eadem instantia fidem faciunt etiam coram judice subrogato, uti si a sententia priori fuit appellatum, aut per viam revisionis, vel praetextu nullitatis sententiae causa iterum tractetur. L. 13. n. eod. Si acta probatoria confirmata sint per sententiam, saltem in judicio ordinario fidem faciunt inter easdem personas etiam in alia instantia, uti constet ex tit. cod. *inter alias* acta etc.

(b) Tales sunt libri parochorum, in quibus consignantur nomina baptizatorum, eorum qui matrimonium contraxerunt, denique eorum qui in parochia obierunt, et qui ibidem ecclesiasticae sepulturae traditi sunt cum annotatione anni, et diei. Huc referunt libros censuales civitatis etc. Liber Ecclesiae, Monasterii, vel Col-

(1) *Cap. 2. ex de fide instrum. l. cum precib. c. de prob.*
(2) *Cap. 1. ex eod.*
(3) *Ex cap. 2. de prob.*
(4) *Ex auth. ad haec c. de fide instr. Novel. 49. c. 2. §. 2.*

Scripturae privatae, si forte probatae, atque integrae opinionis trium, vel amplius virorum subscriptiones iisdem contineantur, velut publicae recipiuntur (1), contra scribentem ipsum faciunt, saltem si expressa sit causa debiti ex. gr. ex mutuo, empto etc. (haec enim aliunde probanda manent (2),) plene probant (3) (a).

Epistola a scribente recognita, ac ut sua agnita, etsi nec dies, nec locus appositus sit, vel etiam nomen per oblivionem omissum, plene contra scribentem probat, etiam pro tertio, ad quem missa non est (4).

Instrumenta regulariter produci debent post litis contestationem usque ad conclusionem in causa; post hanc enim non amplius probationes recipiuntur, exceptis casibus, de quibus suo loco dictum fuit.

Jusjurandum in judicio vim probandi habet, ad cujus religionem devenitur, cum per ordinarios modos probationum veritas nondum elucescit (b). Quanti

---

legii non plane probat pro Ecclesia, aut Monasterio, nisi sit authentizatus, ut ajunt, sive notarii manu conscriptus, et non mere in cartophilacio Ecclesiae asservatus. Ita communis contra nonnullos, quia liber est scriptura mera privata. Verum contra Ecclesiam, vel Monasterium ejusmodi liber tam directe quam indirecte seu consecutive probat.

(a) Excipe ab hac regula liberatoriam confessionem, ubi creditor profitetur sibi fuisse solutum; haec enim probat contra scribentem etsi causa adjecta non fuerit l. 4. ff. *de pactis*. Porro libri mercatorum ex receptis moribus etiam pro scribentibus saltem minus plene probant, si qui illos producunt, viri integrae sint vitae, et rationes propria ipsorum manu conscriptae, et causa obligationis expressa fuerit.

(b) Jusjurandum hic tripliciter distingui solet *voluntarium*, *judiciale*, et *necessarium*. Primum est, quod in causis transactionis l.

(1) *L. scripturus 2. c. qui potiores in pign.*

(2) *L. 25. quum de ff. de probat.*

(3) *Cap. 14. de fide instr.*

(4) *L. 26. §. 2. ff. depositi.*

illud incultae etiam gentes, et Romani praesertim fecerint, historia testatur. *Suppletorium* vero dictum est propterea quod eo semiplena probatio suppletur. Defertur igitur ei, qui semiplene probavit, modo personarum, et causae ratio habeatur (1), et si utrique aeque semiplena probatio sit, defertur reo, quod in re dubia rei causa potior habetur (2). Verum istud juramentum, quod in propria causa emissum suspicione non careat, juxta canones non debet a judice adhiberi, vel admitti, nisi deficientibus aliis probationibus.

Judex potest regulariter in omnibus causis deferre juramentum necessarium, seu suppletorium. Excipiuntur tamen causae criminales, et civiles valde arduae, uti juxta communem sunt beneficiales, matrimoniales, praesertim si de matrimonio dissolvendo agatur: item actiones famosae, ex. gr. furti etc. universim causae, ubi lex, vel statutum requirit legitimas, indubitatas, ac evidentes probationes. Tenetur vero illud tunc deferre, cum lis aliter decidi non potest, uti tali modo causa finiatur (3): at illi deferre debet, qui alias est habilis ad testificandum, universim illi, qui, consideratis omnibus, fide est dignior; regulariter illi, qui melius, sed nondum sufficienter

---

jusjur. 2. ff. *de jurejur.* extra quidem judicium, unus litigantium alteri defert, idest conditionem jurandi offert; nam spontaneum rei jusjurandum non tuentur leges l. ait 3. ff. *de jurejur.* Refert autem illud, qui jurandi conditionem sibi oblatam, rejicit in offerentem. Alterum est, quod in judicio locum habet, et defertur a judice uni ex litigantibus, instante parte. Tertium denique, quod ex necessitate exigit ipse judex, quum ob inopiam probationum aliter causa dubia expediri non possit.

(1) *Cap. ult. ex de jurejurando.*

(2) *L. 125. ff. de R. I.*

(3) *L. 3. 6. de rebus creditis.*

probavit, et ceteris paribus potius Reo, quia in dubio, uti dictum fuit, hujus partes magis favorabiles sunt.

Ocularis inspectio rite facta ordinarie est validissima probatio, inducens rei evidentiam, ut communiter tenent DD. (1), eam leges civiles praescribunt in causis finium regundorum, ut sunt fines parochiarum, et in nunciatione novi operis, puta Ecclesiae, vel monasterii, quae in detrimentum aliorum vergere possunt. Fit autem vel per ipsum judicem, qui viros ejus rei peritos, de qua agitur, adhibet, aut iis solum judicium committit. Quin judicium de conjugum impotentia post exactum continuum triennium mutuae cohabitationis (2), necessario peritis viris, et matronis bonae opinionis, et in opere conjugali expertis committendum est: atque ideo virum medici, mulierem honestae matronae, et obstetrices inspiciunt (3). Idem dic, si de sponsa agitur, quae post matrimonium ratum ingredi velit monasterium, et dubitatur, an a viro cognita sit.

Quod *famam* denique spectat, quatenus species probationis est communis hominum alicujus loci de aliqua re sermo, ex sola quidem suspicione, certo tamen auctore proveniens. Quae differt a *rumore*; nam hic non habet certos auctores, et vox minoris partis de communitate est, ac tantum particularis sermo ex sola suspicione, et incerto auctore proveniens: adeoque temeraria dicitur vulgi vox. In civilibus causis plerumque plene probat fama, si fuerit constans, uniformis, a personis dignis orta, et legitime proba-

(1) *Ex l. 8. finium reg.*
(2) *Cap. literae 7. ex de frig. et malefic.*
(3) *Cap. 4. et 14. ex de probat.*

ta (1) (a). In criminalibus, ac fere in civilibus arduis, relate ad poenam ordinariam nec semiplene probat. Ita Communis: quamvis sufficiat ad inquisitionem specialem, et ad detrudendum in carceres diffamatum, si de fuga sit suspectus. Ita DD.

Fama vero legitime probata censetur (quod difficile prorsus est) si producatur instrumentum authenticum super fama erectum: vel si testes duo omni exceptione majores, qui jurato testantur se audivisse ita dici a majori parte communitatis, et saltem duas personas nominatim exprimant, a quibus audiverint, asserentibus se vidisse, aut alia indicia rei adducentibus.

CONCLUSIO SEPTIMA

Praesumptionis species, et vis adferuntur.

Praesumptionem licet heic extremo loco expendimus, ea tamen non ultimum inter probationes locum obtinet; ipsa enim quando plene res controversa probatur; quando semi-probatur; quando denique in gratiam actoris est, ipsum ab onere probandi liberat. Definitur autem anticipata de re dubia opinio ex argumentis, indiciis et conjecturis per rerum circumstantias plerumque evidentibus sumpta. Ita Van-Espen (b) (2). Ejus communiter duae sunt

---

(a) Plene etiam probat in rebus modicis, in factis antiquis memoriam hominum excedentibus cap. 13. *de test.* ac in aliis, quae sunt difficilis probationis, et aliunde impossibilis; item quando agitur de vitando peccato, aut quando cum fama concurrunt alia adminicula c. 2. *de praesumpt.*

(b) Praesumptio quasi *ante sumptio*; nam ante legitimas proba·

(1) *Arg. ex cap. 27. de test. l. 3. §. 2. ff. eod.*

(2) *I. E. p. 3. tit. 7. c. 9. num. 17.*

species, una *hominis* seu judicis, altera *juris*. Illa nulla certa lege consignata est, sed pro hominis recte judicantis arbitrio ex factis, et indiciis hauritur, proindeque magis, vel minus probat, prout ea verisimiliora sunt necne (a). Haec certa lege, vel canone fulcitur, et extra judicis arbitrium posita; at pro diversa ratione, qua proponitur, alia *juris* tantum dicitur, alia *juris*, *et de jure*. Prior tamquam vera proponitur, donec contrarium probetur, et verbis solet proponi, *videri*, *existimari*, *intelligi* ex. gr. ex possessione, praesumptione juris intelligitur rem esse possessoris. Posterior est illa, quam jura non tantum exprimunt, sed etiam super praesumpto, tanquam aliquo sibi comperto aliquid statuunt, ac ita habent pro veritate, ut nullam in contrarium probationem directam admittant; talis habetur ex Gregorio IX (1) praesumptio de jam contracto matrimonio, ubi quis concubuit cum muliere, cum qua prius sponsalia con-

---

tiones aliquid pro vero sumitur. Differt a *conjectura*, quae fere suspicionem tantum denotat, non opinionem; a *fictione* juris, quod haec non sit opinio veri, nec circa rem dubiam versetur, sed certae falsitatis sit ex rationabili causa a jure facta assumptio in ordine ad aliquem effectum non admittens probationem in contrarium.

(a) Haec praesumptio alia est *probabilis*, quae sumitur ex indiciis saepe quidem conjunctis cum re, quam indicat, non tamen excludentibus prudentem formidinem; ita parum verecunda probabiliter praesumitur puella, quae cum viris frequenter versatur, quod est exemplum allatum in c. 13. *de praesumpt.*: alia *violenta* quae etiam vehemens dicitur, et oritur ex indiciis vehementibus cum re vel facto, quod praesumitur, ordinarie et fere semper conjunctis ut est praesumptio fornicationis, si nudus cum nuda in loco obscuro deprehendatur, ut in c. 12. eod.

(1) *Cap. 30. ex de sponsalib.*

traxerat (a). Quae praesumptio cessat post ratum Tridentinum.

His positis hæc collige: 1.° *praesumptio hominis probabilis* semiplene, vel plus minusve pro qualitate indiciorum, et subjectae materiae probat; quod arbitrio judicis relinquetur (1). Si vero aliis adjuvetur adminiculis ex. gr. publica fama etc. etiam plenam potest facere probationem. 2.° Praesumptio *hominis violenta* transfert onus probandi in adversarium, quia ille, pro quo stet, habet intentionem suam fundatam, et si non probet, sufficit haec ad sententiam definitivam solum in causis minus arduis. 3.° Praesumptio tam *hominis*, quam *juris violenta* sufficit probabilius etiam in criminalibus ad sententiam definitivam, et ad poenam ordinariam, saltem ubi delictum est difficilis probationis, uti sunt delicta carnis, suppositio partus, incendium, veneficium, et similia, quae in occulto, et per fraudem committi solent. Ita DD. plures cum Laym. Abb. et Menoch. contra alios, quibus favet ratio; talis enim praesumptio non minorem inducit certitudinem, quam duo testes, imo majorem, quia minus fallunt indicia violenta, quam testes corruptioni facilius obnoxii. Praesumptio *juris* igitur habetur pro veritate, donec contrarium probatur, et nisi contraria probatione elidatur, dicitur liquidissima probatio. 4.° Praesum-

(a) Qui oppositum tenent, quia in criminalibus probationes meridiana luce clariores esse debent l. ult. c. *de probat.* concedunt tamen in delictis occultis, et difficilis probationis, uti dictum est, quod praesumptiones violentae, et moraliter certae faciunt plenam probationem, dummodo agitur civiliter ex. gr. ad divortium, ad restitutionem dotis ex c. 12. *de praesumpt.*

(1) *Ex l. 34. c. L. Jul. de adult. cap. 12. de praesumpt. et cap. fin. homicid. in 6.*

ptio *juris* et *de jure* ita plene probat, ut non admittat probationem in contrarium, uti dictum fuit (1) (a).

CONCLUSIO OCTAVA

Decretum conclusionis exponitur.

Absolutis probationibus, *factaque publicatione* (2) *fit conclusio in causa*, qua processus absolvitur, et judex decernit processum claudi, et causam satis instructam esse, adeo ut nulla amplius productione tum testium, tum scripturarum opus sit, et solum sententiae prolatio requiratur. Exceptis casibus 1.° si publicae scripturae post conclusionem praesentantur, 2.° si litigantes consentiunt, tacite vel expresse revocante judice conclusionem, 3.° si unus ex iis minor sit, ac petierit restitutionem in integrum, 4.° si causa fuerit criminalis, beneficialis, vel matrimonialis; tunc enim arbitrio judicis conceditur terminus parti producenti ad eas *concomitandum*, parti adversae ad impugnandum (3) (b).

(a) Quia omnis praesumptio cedit veritati, haec juris et de jure praesumptio etiam vincitur 1.° per confessionem propriam ejus pro quo stat, 2.° per evidentiam facti, et allegationem notorii, 3.° per instrumentum publicum, 4.° per hoc quod is, a quo stat, non excipiat contra probationem in contrarium adductam, 5.° per probationem indirectam, qua ostenditur non adesse in facto qualitates requisitas ad praesumptionem juris et de jure.

(b) Quia jam usus inoleverat admittendi novas scripturas, et probationum instrumenta non modo post conclusionem, sed post

(1) *Ex l. ult. ff. de prob. c. 6. de cond. appos. c. 30. de spons.*

(2) *Cap. cum dilectus 9. de fide instrum. et prag. post concl. sub tit. de ord. jud.*

(3) *Cap. Sedes 26. de testib. Afflict. decis. 271. e 272. et prag. cursu dilationum de ord. jud.*

Decursis denique omnibus terminis, expletisque probationibus post conclusionem fit monitio ambabus partibus ad allegandum in facto, et jure pro expeditione causae, ut judicem voce, ac scripto de juribus suis informent, productasque probationes coram eo discutiant cum advocatis, et procuratoribus, ut judex omnibus quaestionibus, et argumentis litigantium auditis, litem definiat (1). Hic actus judiciarius vulgo *monitio ad sententiam* adpellatur (a) (2).

Denique edicit judex ipse *citationem ad audiendam definitivam sententiam* certo die juridico.

MONITUM.

De summario processu.

Quoad processum summarium praeter ea, quae diximus de discrepantia ab ordinario, de quo hactenus egimus, animadvertendum est, quod juramentum calumniae, nisi petatur, probe omittitur, et feriarum exceptio non impedit cursum processus. Decretum probatorii termini, quod his verbis concipitur: *Capiatur summaria informatio super his omnibus hinc inde praetensis, testes habeantur pro*

---

monitionem ad dicendum, et causam introductam pro ejus expeditione; ideo in foro laico exulavit hoc decretum conclusionis, et terminus praedictus, novaeque scripturae productae habentur, velut si antea fuissent exhibitae.

(a) Quando termini probatorii sint decursi sine ulla testium productione, in eoque scripturae solum, et instrumenta edita sint; omisso decreto publicationis, terminus probatorius clauditur decreto conclusionis omissa publicatione.

(1) *Prag. 18. num. 28. eod.*

(2) *L. judices 91. de judic. et c. dudum 22. de elect.*

citatis, et recipiantur vel coram ipso judice, vel per scribam causae, vel per N. aliquem scilicet judicis arbitrio deputandum; duas declarat solemnitates resecandas in eodem judicio scilicet citationem testium, et notam suspectorum in eligendo examinatore testium. Utraque tamen pars citari omnino debet ad videndum juramentum testium adversarii sui, et alteri altera suam offerre depositionem super positionibus praesentandis, et interrogatoria, si velit, exhibet super adversarii articulis, non secus ac in judicio ordinario. Post examen testium facultas percontandi acta decernitur, quae vim habet decreti publicationis. Repulsae deinde terminus alterutra vel utraque parte postulante datur. Alius item conceditur terminus pro restitutione in integrum, si eum quis ea fruens postulaverit. Tum denique conclusione in causa omissa, partibus acta scrutatis post facultatis decretum, iisque monitis, et auditis fit decretum definitivum, sententiae ritibus omissis.

CAPUT VI.

EXTREMA PARS PROCESSÛS QUA CAUSA DIRIMITUR.

CONCLUSIO PRIMA

Sententiae essentia sive ejus interna forma excussa, de externa etiam dicitur, atque illius effectibus.

Sententia est judicis competentis decisio pronuntiata super re a litigantibus proposita, et in judicium deducta (a). Hinc vel principalem controversiam dirimit,

(a) Jure Decretalium judicis pronuntiatio est sententia, quae causam sive incidentem, sive principalem definit: haec tantum

reumque aut absolvit, aut condemnat, eaque primam instantiam terminat, et dicitur *definitiva*; si vero judex inter principium et finem causae, quae manet suspensa, decidat aliquem articulum, et quaestionem incidentem, vel emergentem, sed summarie tantum; ejusmodi sententia appellatur *interlocutoria*. Qua lata proin non desinit judicis officium. Hinc revocari seu retractari sententia mere interlocutoria, non definitiva potest a judice (1), quamvis appellatum ab ea sit (2) (a).

Ergo non solum competentis judicis sit sententia, oportet, ut vim habeat (3) (b), sed forma ejus intrinseca requirit, ut sit 1.° justa ex legibus nimirum pronuntianda (4): *Contra leges tamen, canonesque*

---

jure civili, quae perimit, dicitur sententia; caetera jussa, et mandata judicis, quae articulos incidentes definiunt, et judicii seriem ordinant, *interlocutiones* ferme appellantur. Hinc titulus c. *de sent. et interlocutionib.*

(a) Plurium judicum sententiae vincunt pauciorum l. 36. et 39. ff. *de re judicata*. Si duo enim in diversas abeunt sententias, vel ex jurisdictione *ordinaria* processerunt, et tenet illa quae favet reo dummodo non sit in causa favorabili pro actore promulgata, vel ex *delegata* et pendet utraque ab arbitrio delegantis, vel ex *compromisso* et neutra vim habet ex c. fin. eod. Si ex pluribus judicibus qui eandem protulerunt sententiam, unus excommunicationis vinculo publice fuit innodatus, sententia non tenet c. 24. eod.

(b) Est sententia interlocutoria habens vim definitivae (quae etiam *mixta*, seu quasi media appellatur) et est, quae causam quidem principalem directe non definit; eam tamen ferme perimit, ita, ut alia post illam in eadem instantia sperari non possit, ex. gr. sententia, qua judex absolvit reum ab observatione judicii, vel instantiae, qua dicit, se esse incompetentem; qua exceptionem peremptoriam admittit, vel rejicit. Vide Reiffestuel *de sent. et re jud.* a num. 17.

(1) *L. 55. ff. de re jud.*

(2) *Cap. cum cessante 60. de appellat.*

(3) *Cap. 4. de judiciis.*

(4) *L. nemo 13. cap. de sentent. et interloc.*

prolata ipso non potest jure subsistere, ut si judex pronuntiaret ex. gr. alienationem rerum Ecclesiae immobilium sine solemnitate factam valere, minorem non esse restituendum etc. non valeret sententia. Si vero litigantis juri adversetur, valet quidem, etsi iniqua, sed per appellationem suspenditur, novoque judicio revocatur (1) ex. gr. si pronuntiaret judex rem ecclesiasticam esse legitime alienatam, cum tamen non ita sit (2); 2.° ut sit secundum acta, et probata (a): etenim si feratur contra solitum judiciorum ordinem nullam habebit vim (3), nec censeri poterit decisio super re in judicium deducta; 3.° ut sit certa, saltem quatenus res in judicium deducta patitur (4); 4.° pura et absoluta non lata sub conditione extrinseca de

---

(a) Propria hujus loci est quaestio, quam antea DD. moralibus relinquendam duximus, et praesertim S. Ligorio, utrum nempe judex eum, qui secundum allata et probata reus est, quem tamen privata scientia certo scit innocentem, condemnare possit in causa civili, vel criminali. At ne omnino praeterire videamur eandem, juvat heic observare tantum, quod quisquis in omni casu ex conscientia sua et ex fide, quae ipsi sit, judicare debeat. Hinc etsi persona publica constitutus sit judex in publicam utilitatem, non tamen ut publicam in judicio allatam falsitatem sequatur; patet id et ex exod. cap. 23. 1. et 2. ubi haec leguntur: *Non suscipies vocem mendacii... non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiae, ut a vero devies.* Quod si nec tanti quis existimet hoc, ut quiescat, quin contrarium potius sentiat, ipsum D. Thom. qui aliter censet, audiat. Hic 2. 2. quaest. 67. art. 2. postquam statuit judicem potius judicare debere non secundum id, quod novit ipse tamquam privata persona; sed secundum id quod innotescit ei, tamquam publicae personae: illud addit, curandum eidem esse, ut *districtius discutiat probationes inductas*, quo possit veritas constare.

(1) *L. 2. cod. Quando provoc. non est necesse c. 13. et 21. eod.*
(2) *C. post longas 1. ex de sent.*
(3) *L. probatam 4. cap. de sent. et interloc.*
(4) *Inst. de action. §. 32.*

futuro ex. gr. si navis ex Asia venerit (1), aut sub conditione ad probationes spectante ex. gr. te condemno, si actor melius probabit; non enim cum cognitione praevia judicis esset lata (a).

De forma extrinseca ejus jure constitutum est 1.° ut scripto (b), et lingua latina, expresso judicis, et litigatorum nomine ea concipiatur (c); nam *oretenus* lata *nec nomen sententiae habere meretur* (2); verba enim ore pronuntiata saepe menti illudunt et periculosum est judicem in proferenda sententia labi, quum semel latam mutare, aut emendare non possit; 2.° causa sententiae non est exprimenda (d) (3); 3.° ut lata, et publi-

(a) Vi consuetudinis valet sententia absolutoria sic concepta: Reum absolvo, nisi actor intra tres menses intentionem melius probaverit.

(b) Exceptis causis monachorum, quos Justinianus, velut arbitris reservavit. Novell. 88. in praef. ac pariter nisi breves sint lites, et maxime vilium personarum, vel causarum... et nisi Episcopus cognoscat inter suos subditos auth. nisi c. *de sentent. et princ. recit.* Hodie tamen etiam Episcopi sententia in scripto ferenda est.

(c) Latina lingua leges etiam ferri, et acta non solum Romae, sed et in toto orbe Romano confici oportebat. Ecclesia semper usa videtur graeco, aut latino sermone, qualem videlicet populi usus postulabat, quin etiam postquam sermo latinus popularis esse desiit, eum in dicendis sententiis Ecclesia occidentalis retinuit.

(d) Causa sententiae, cur lata sit, per se et regulariter non est necessario exprimenda c. 16. *de sent. et re jud.* quia sententia a potestate judicis vim habet. Excipiuntur 1.° si deviet a jure communi, 2.° si sit censura, ut dein constet, quid sit emendandum; nam censura intenditur emendatio utpote medicinalis poena, 3.° si absolvat ab instantia, ut cognoscatur an nova facienda sit, 4.° si in appellatione reformetur sententia.

(1) *L. 1. §. 5. ff. quando appellandum sit.*

(2) *L. hac lege cap. de sent. ex pericul. recit. et cap. 7. caus. 2. qu. 5.*

(3) *C. 16. de sent. et re jud.*

cata sit, atque a notario peculiari libro sit scripta, ac partibus tradita, ut hodie obtinet (a).

Effectus sententiae ex parte judicis est 1.° quod terminet suum officium, et desinit esse judex respectu talis causae (b); 2.° ex parte litigantium sententia lis finitur, et jus facit inter partes: sed haec duo solum firmiter operatur, si sententia transit in rem judicatam, de qua mox (c); 3.° ubi sit sententia lata pro actore; huic competit *actio in factum* ad praestandum id, in quo Reus est condemnatus, quae actio est personalis, perpetua, et rei persecutoria, et datur tam haeredibus actoris, quam in haeredes Rei condemnati. Reo autem absoluto datur *exceptio rei judicatae* contra actorem ejusque haeredes, vel alios ejus nomine agentes; 4.° si rescriptum a Papa impetratum sit contra sententiam prius ab eo latam, in quo illius mentio non fit, quod per ipsum rescriptum conceditur, nullum est,

---

(a) Utroque jure c. ult. *de sent.* et l. 2. *Cod. de sent. ex peric. recit.* ab ipso judice recitanda esset sententia praesentibus, aut saltem in eam rem vocatis litigantibus. Imo et aliae requirebantur solemnitates, nimirum ut pronunciaret sedens pro tribunali, quod erat locus sublimis et editus fere ad instar hemicycli introrsum curvatus, ad quem per gradus ascendebatur de die non de nocte (quamvis non desint exempla contraria, ut *ex Svetonio in Augusto* c. 33. licet colligere: et Arcopagitas nocte judicavisse constat.) Alia omittimus quae fori usu sublata sunt ita ut in his rebus spectare deceat consuetudines locorum.

(b) Declarare tamen, et supplere eodem die potest, si aliqua omiserit, quae in consequentiam rei, vel condemnationis principalis veniunt, ut si omiserit decernere restitutionem fructuum, et expensarum l. 42. ff. *de jud.*

(c) Imo sententia definitiva a Papa, vel Supremo principe civili inter partes *praesentes*, *et non ex plenitudine potestatis per modum dispensationis* lata habet etiam vim legis, et jus facit inter alios judices inferiores, ita ut etiam hi in similibus causis similiter judicare debeant c. 19. *de sent.*

ex. gr. collatio beneficii per illud facta, invalida est; 5.° sententia definitiva per omnia partium disceptationem perimit.

Hinc non tantum decernit super negotio principali, sed et super suis accessoriis, quales sunt expensae in litem factae, et fructus percepti: post absolutum enim dimissumque judicium nefas est litem alteram oriri ex litis primae materia (1). Et quia pars causa cadens praesumitur injuste litem movisse, communis regula est victum in expensas victori solvendas condemnandum. Restitutio fructuum eos praecipue spectat, qui post litem contestatam percepti sunt, aut percipi poterant; nam ex quo res in judicio deducta est, incipit mala fides possessoris (2).

CONCLUSIO SECUNDA

Sententia in rem judicatam quando, et quomodo transit, excutitur; executio, quae est finis illius, exponitur.

Sententia tum interlocutoria, tum definitiva transit in *rem judicatam*, sive in *auctoritatem rei judicatae*, ut jus dicit (3), si intra decem dies a die habitae de sententia notitiae neutra pars appellet (a), *cum per hoc videatur per interpetrationem juris latae sententiae paruisse, praesertim ubi causa non redditur ap-*

(a) Hoc decem dierum spatium mutato veteri biduo vel triduo fixit Justinianus nov. 23. cap. 1. receptumque est jure sacro, imo a Bonifacio VIII. extensum ad appellationes extrajudiciales nempe a die, quo quis gravatum se sensit c. 8. *de appellat.* in 6.

(1) *L. 3. c. de fructibus et litis expens.*

(2) *L. 2. cap. eod.*

(3) *C. 15. de sentent.*

pellandi (1). Hinc DD. dicunt sententiam in rem judicatam transisse, ut significent, quod victus sententiae et pronuntiationi judicis acquieverit, vel expresse, vel tacite appellationem intra decem dies non opponendo. At exceptiones sunt, ob quas res judicata rescindi potest, aut potius in rem judicatam sententia non transit (a). Praecipuas ponimus: 1.° est sententia invalida, 2.° lata in causa beneficiali, vel matrimoniali, quando

(a) Quoniam nusquam in legibus res judicata ad modus acquirendi dominium refertur; imo l. 60. princip. ff. *de condict. indeb.* ad propositum casum num is qui debitum bona fide negavit, et a judice quoque sit absolutus, et in rem judicatam abiit sententia, dicitur: *Licet absolutus sit, natura tamen debitor permanet*; nec id ad litigatorem malae fidei detorqueri potest, de quo nulla ibi fit mentio, nobis arridet sancire cum DD. pluribus solum pro foro externo, sed non in conscientia locum habere vim et effectus rei judicatae. Adde quod vis rei judicatae nititur tum praesumptione, tum hac ratione, ne lites sint immortales l. 2. c. *de re jud.* quae tamen non immutat obligationem naturalem, et praesumptio cedit veritati certo cognitae l. 24. et 25. ff. *de prob.* Unde manet haec regula: Jure naturae aequum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletem. Nec valet recursus ad bonum publicum; lites enim finiuntur, etsi tantum bonum externum res judicata spectet, qui fuit unicus finis, ut habetur l. 2. cap. cit. sicut pactis nudis propter eandem causam in foro externo adempta est actio, etsi salva relinquatur obligatio naturalis. Insuper et certitudo dominiorum, ac jurium per praescriptionem habetur; nulla ergo necessitas est, ut eadem vis etiam rei judicatae tribuatur, eo vel magis quod si ex l. unic. c. *de usucapion.* Imperator praescriptionem annualem et biennalem tamquam rem nimis inhumanam propter brevitatem temporis transmutavit in praescriptionem triennii, et in praescriptionem 10, 20, et 30 annorum; multo minus credibile videtur, quod voluerit dominium transferre quoad forum internum per rem judicatam quod (jure communi) contingit intra 10. dies. Demum etsi sententia jus factum sit inter litigantes ex c. 13. *de sent.* tamen hoc intelligi censetur pro foro externo, quod scilicet iidem denuo litigare nequeunt; pro foro autem interno eo tantum casu, quod non constet de jure contrario.

(1) *Ibid.*

de valore agitur matrimonii, et quotiescumqne sine peccato observari non potest, 3.ª sententia excommunicationis, suspensionis, et interdicti; nam licet his obnoxius post decem dies non possit appellare, potest tamen petere absolutionem, vel per simplicem querelam de tali injustitia queri (1), 4.ª sententia lata ex falsis instrumentis, vel testimoniis, vel lata ex juramento necessario, quod in supplementum probationum a judice delatum est parti (2), aut ex probationibus privilegiatis, et praesumptivis, ex consilio DD. vel peritorum in arte sua: his ultimis casibus transit quidem, at non absolute in rem judicatam, sed conditionate, et rescindibiliter; quia quando postmodum afferuntur contra sententiam probationes certae, et convincentes, vel pars vincens confitetur sibi jus non competiisse, aut detegitur falsitas instrumenti, vel judicis corruptio, rescindi, et retractari potest sententia, imo debet. Retractatur vero talis sententia non per appellationem a judice superiore, sed per *querelam* inique condemnati a priori judice, qui cognita summarie justitia querelae restituere in integrum debet *querelantem*.

Finis sententiae, et rei judicatae cum sit *executio*, haec demandatur statim in actione reali, in actione vero personali infra *quadrimestre tempus* (3), sive *quadrimestres inducias*, quae a die condemnationis, vel si provocatum fuerit, a die confirmationis sententiae numerantur (4) nisi illud judex jure decretalium arctaverit, vel prorogaverit (5) (a). Ab eo judice fa-

(a) Quadrimestre non conceditur, si victus in actione personali ad praestationem speciei est condemnatus ex. gr. ut rem em-

(1) *C. fin. de poenis.* (2) *L. 3. ff. de jurej.*

(3) *C. quaerenti 26. ex de off. et potest. jud. deleg.*

(4) *L. sancimus 3. c. de usuris rei jud.*

(5) *C. quid ad 15. ex. de sent. et re jud.*

cianda est executio, qui sententiam pronuntiavit, non a delegato (1), nisi a Pontifice fuerit delegatus (a) (2). Denique modus atque ordo servandus est in executione ipsa, nimirum facienda est prius in mobilibus, dein immobilibus, ultimo devenitur ad incorporalia, seu jura, et nomina etc. (b). Tridentinum monet (3) in causis civilibus, aut criminalibus, ubi executio personalis haberi non possit, Episcopos uti censuris posse, *si tamen delicti qualitas, praecedente bina saltem monitione, etiam per edictum id postulet.* Executioni opponi possunt exceptiones, quae eandem maxime respiciunt, ceu Scti Vellejani, Macedoniani, compensationis, solutionis jam factae, rei nondum traditae (4).

---

ptam, vel donatam tradat, aut si conventus sit ex maleficio, vel si condemnatus paratam jam habeat pecuniam, vel denique si periculum sit in mora l. 13. ff. *de re jud.*

(a) Glossa c. *si quis contra 4. de foro compet. verbum ipsius sollicitud.* contrarium sensit, quia delegato causa commissa et ea committuntur, quibus judicatum exequi faciat c. *praeterea* 5.

(b) Excipiuntur tamen 1.° omnino necessaria ex. gr. instrumenta artis, libri studiorum arg. l. 7. c. *quae res pignor. obligat. poss.* l. 4. c. *de execut. re jud.* nisi haec sint specialiter debita: 2.° necessaria ad congruam substentationem respectu habentium beneficium competentiae; 3.° quae determinate sunt fortius obligata, vel quae non possunt alienari, vel quae communia tertio, non possunt dividi. Si vero tantum tertii intersit, non fieri executionem, tunc tertius debet appellare, si scit sententiam; secus potest adhuc suspendere executionem, vel post illam agere *ad interesse.* Quod si debitus ordo non observetur, appellatio conceditur l. 5. cod. *quorum appellat. non recip.*

(1) *L. a Divo. 15. in quem ff. de re jud.*

(2) *C. significasti 7. et c. sane 11. ex de off. et potest.*

(3) *Sess. XXV. c. 3. de Reform.*

(4) *C. 3. de solutionib.*

CAPUT VII.

REMEDIA QUAE EXECUTIONEM SENTENTIAE SUSPENDUNT.

CONCLUSIO PRIMA

Remediis contra sententiam enumeratis, appellatio praecipue distinguitur; cui, ad quem, quibus in causis appellare licet, et quinam sunt effectus appellationis, et forma, declaratur.

Sententiarum effectus differre, aut impedire, aut submovere omnino plura possunt remedia, quae gradatim licet intentare, et praesertim *querela nullitatis*, *restitutio in integrum*, *supplicatio ad summum principem*, et praecipue *appellatio*, de qua primum disserere juvat, ut natura, et differentia aliorum videatur magis. Haec, quae ducitur necessaria, ut iniquitatem judicantium, vel imperitiam corrigat, ut ait Ulpianus (1), definitur: Provocatio ab inferiore judice (a) facta ad superiorem ratione gravaminis illati, vel inferendi. Quam juris naturalis esse quoad substantiam nemo non videt, cum sit species quaedam defensionis, et innocentiae praesidium. Unde nec per Principem, vel delegatum negari potest, nisi ob publici boni necessitatem; nec renuntiari potest, ubi de vita et membris agitur. Quoàd sollemnitatem ejusdem, et modum spectat, juris positivi facile eam dixeris; haec enim jus positivum praescribit. Potest vero a gravamine tum in

(a) Appellatione provocatur ad judicem superiorem, et inchoatur secunda instantia: Judex primae instantiae vocatur *Judex a quo*, superior autem, et secundae instantiae *Judex ad quem, vel Judex appellationis aut appellatus.*

(1) *L. adpellandi 1. ff. de appellat.*

judicio illato, sive ab actu judiciali provocari (a), tum extra judicium ab aliquo actu superioris, quo subditus, vel gravatus, vel ne gravetur, timens provocat ad auctoritatem superiorem: gravamen autem supponit laesionem alicujus juris, saltem illius quod consuetudine fundatur; sed hujusmodi appellatio non habet effectum suspensivum (b). Hinc duplex distinguitur appellatio *judicialis* altera, altera *extrajudicialis*, quae dicitur etiam simplex querela: ut vero observat Alex. III (1), est haec potius *provocatio ad*

(a) Puta: a *citatione*, quia non fuit ad formam juris, aut a *processu*; quia ordinem juris non observat judex, vel exceptionem legitimam non recepit; aut a *sententia* vel definitiva, vel interlocutoria: de hac tamen observandum quod jure civili prohibitum fuit appellare l. 36. c. *de appellat.* nisi interlocutio vim habeat definitivae, vel damnum inferat irreparabile cit. cap. 36. Jure canonico etiam ab interlocutione et illato gravamine appellatio fuit concessa ex causa probabili exponenda judici, a quo appellatur c. 59. At in concilio Trid. sess. 24. c. 20. *de reform.* vetitum fuit, ne in causis ad forum ecclesiasticum quomodocumque pertinentibus appellationes ab eisdem interpositae per superiores quoscumque recipiantur; eorumve commissio, aut inhibitio fiat, *nisi a definitiva, vel a definitiva vim habente, et cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat.* Pro exemplis casuum, in quibus appellatur ab interlocutoria sententia ob gravamen irreparabile, haec afferunt DD. si admittantur testes indebiti; si rejiciantur instrumenta, si terminus nimis angustus praefigatur, ut probationes afferri valeant etc. In eo autem differunt inter se potissimum adpellatio a definitiva, et ab interlocutoria quod ab ista non suspenditur inferioris judicis jurisdictio, nisi a superiore inhibitio fiat ei, ne procedat c. *non solum* 7. *de appellat.* in 6.

(b) Ex. gr. si quid in provisionibus, et electionibus ad beneficia admittatur gravans jus patronorum; si quando superior absque processu judiciali, et causae cognitione aliquid in praejudicium alterius decernat, scilicet suspendat ad tempus clericum, aut alia censura subditum liget, si denegatur justitia, et processus judicialis etc.

(1) *L. 1. 4. 5. ff. de appell. et c. de appell. 11.*

causam, quam vera appellatio; haec enim querela ad eum, qui est judex ordinarius superioris, defertur, ut incipiat judicium in prima instantia, non ut reformetur judicium (a). Quisquis injuste gravamen passus est, potest appellare, quod juris naturae esse diximus, et leges comprobant. Nec solum ii, qui directe graventur, sed omnes, quorum interest, appellant, utqui indirecte gravamen passi dicuntur (1). Hinc unius appellatio et aliis quoque prodest, si communi jure juventur, idemque negotium, et causa eadem defensionis existat (2). Demum duae partes litigantes actor, et reus possunt simul ab eadem sententia appellare, si neutri ea satisfaciat: minister publicus scilicet promotor item a sententia officialis appellat. Quamvis vero juris naturalis sit appellatio, attamen non obstat quin excipiantur aliqui, quibus illa denegatur, et sic non substantialiter lex positiva denegat eis defensionem, sed modum istum defensionis, qui per appellationem habetur; dantur enim adhuc alia remedia se defendendi, de quibus deinceps erit sermo. Qui revera excipiuntur, sunt 1.° qui sententiam contra se latam expresse, vel tacite, et ipso facto approbarunt; sic enim appellationi renuntiarunt (b); 2.° qui ter, vel se-

(a) Appellatio vero sive haec querela ab actibus jurisdictionis voluntarie non datur, quatenus est *mere gratiosa*; relinquenda enim est conscientiae superioris, nec potest proin conqueri subditus, quod aliqua gratia ei denegetur. Hoc tamen non obstante observandum quod potest dari, ut quod simplex videtur gratiae denegatio, sit laesio juris, et denegatio justitiae

(b) Implicite renuntiat, qui negligit *fatalia*, de quibus infra; vel qui sententiam contra se latam facto suo positivo tacite approbat. Ita canones cit. Tit. *de appell.*

(1) *Exemplo c. 15. de M. et O.*

(2) *Cap. 72. de appell. quo pertinet tit. Cod. si unus ex plurib. appellat. etc.*

mel peremptorie citati contempserunt formaliter judicem, et condemnati fuerunt ob veram contumaciam (1); 3.° *qui alterius appellationi deferre neglexerit, se beneficio appellationis reddit indignum* (2); quod ad appellationem extrajudicialem maxime refertur; 4.° qui legitime confessi, simulque non dubia, sed plena probatione convicti sunt (3); 5.° qui in eadem causa, et super eodem articulo tres conformes sententias contra se tulit (4); 6.° qui renunciarunt appellationi ante sententiam expresse vel tacite post illam approbando; 7.° qui pro obtinenda absolutione a censuris jurant quod stare velint mandato Ecclesiae, a mandato justo viam appellandi sibi praecidunt (5): 8.° Excommunicato datur facultas appellandi judicialiter; hoc enim se defenditur (6), sed negatur facultas appellandi extrajudicialiter, quia non potest provocare ad causam (7).

Gravaminis causa appellatur, ut illud vel tollatur, vel reparetur ab alio, qui jurisdictionem habeat in eum, qui gravamen intulit, et in causam, de qua agitur. Ad quem igitur, et a quo judice appellari potest, par est videre.

Et re quidem vera generatim appellari licet a quovis judice, qui relate ad controversam causam superiorem habet jure publico tum universali, tum particulari, quo officia judiciorum ordinariorum vi supremae potestatis instituuntur, et instantiae judiciorum,

(1) *L. 23. eod.*
(2) *Cap. 25. et 42. eod.*
(3) *L. 2. c. Quorum appell. non recip. et c. 13. de appell.*
(4) *C. 6. eod. et l. un. c. ne liceat in unn eademq. causa.*
(5) *Ex c. 20. et 21. de appell.*
(6) *Cum inter 5. de except.*
(7) *C. intelleximus 7. de judiciis.*

earumque gradus ordinantur (a). Non tamen id licet ab illo judice, qui munitus sit privilegio de non appellando, vel facultate potitur decidendi *remota appellatione* (b). Appellatur regulariter gradatim ad proximum superiorem, qui scilicet habet jurisdictionem in causam controversam, et in eum, qui judicavit (1) (c).

(a) Hinc a Summo Pontifice, cujus judicium soli Deo subjicitur, appellari non potest, nec a sententia Concilii generalis legitime congregati, et suo capiti uniti. Vide c. VI. concl. II. vol. I. ubi a sententia Papae demonstratur non dari appellationes ad futurum concilium; quasque damnatas merito constet constitutionibus Julii II. *Supremi*, et a Pio II. *execrabili* qui haec subdit « Ridiculum est appellare ad id quod nunquam est, neque scitur quod futurum sit. Eo praetextu remanent scelera impunita, nutritur adversus S. Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, et omnis ecclesiastica disciplina confunditur ». A sententia totius Collegii Cardinalium, et ultima Rotae Romanae nec licet appellare.

(b) Haec facultas, qua derogatur juri publico plures instantias ordinanti, conceditur 1.° a solo supremo principe, vel a jure in certis casibus lib. 1. §. 4. ff. *a quibus appell.* 2.° rescripto; quo removetur appellatio, si plures sint articuli connexi, qui committuntur *in una commissione positi*; tunc enim in uno remota appellatio, in aliis articulis etiam remota censetur c. 41. *de appell.* Secus si non sint connexi, vel plura *negotia se minime contingentia* committantur c. 71. eod. Observandum tamen est, quod clausula, qua removetur appellatio, non excluditur appellatio *in causis incidentibus*, utquae saepe sunt *praejudiciales* cap. 33. *in parte decisa.*

(c) Judex ordinarius ecclesiasticus in secundo causarum gradu est cujusque provinciae Metropolita ex Concil. Lugd. sub Innoc. IV. in c. *Romana* 5. *de appellat.* in 6. Ab Archidiaconis jurisdictionem habentibus, aliisque Episcopi subditis ad ipsum Episcopum appellatur, nisi aliud consuetodo invexerit. In tertio gradu est Romanum Tribunal A. C. vel pro diversa causarum qualitate alterum *signaturae justitiae*, vel Rotae auditorium, vel aliqua Sacrarum Congregationum. Graviores causas ex. gr. de jurisdictionibus, patronatibus, ceteris id genus, iis etiam, quorum valor citra montes ad quingenta scuta auri, ultra montes ad scuta

(1) *In c. dilecti filii 66. de appell.*

Ipsaque tamen canonica jura, antiquissimique mores Ecclesiae sic appellationes probant ab Episcopo ad Metropolitanum, ut indulgeant, hoc omisso, ad Pontificiam Sedem provocare (1). Etenim Christi insti-

mille; insuper de beneficiis et pensionibus ecclesiasticis, quae ducatos viginti quatuor auri de camera excedant, de primis dignitatibus cathedralium, et collegiatarum, de matrimonii foedere, ac divortio, et nullitate professionis regularis ad Rotam R. in gradu appellationis ab A. C. pertinere tradit Bened. XIV. qui docet etiam ceteras minores appellari *praelatitias* quia Praelati Signaturae eas definiunt; spectantes vero ad forum Capitolinum nunquam exinde nisi de consensu partium avocari, exceptis, ubi matrimoniorum foedera et nullitates professionum Regularium versantur. Addit matrimoniales ad Rotae auditorium, vel ad S. Congregationem Concilii solum deferri. In dioecesibus autem Episcoporum, qui sunt Sedi Apostolicae immediate subjecti, et locis etiam exemptis nullius dioecesis, hoc in regno Vices Metropolitani ipsamet Tribunalia Pontificia Rom. gerunt. Benedict. XIV. const. *justitiae ac pacis* tom. 2. Bull. Romanum vero Tribunal A. C. monitoria super executione literarum Apostolicarum decretorumque S. Congregationis concedit in primo gradu secundum decretum Urbani VIII. a laudato Benedicto XVI declaratum in app. Concil. Rom. A Regularibus observandi pariter sunt varii gradus qui in eorum ordine existunt nempe a gravamine Prioris ad Provincialem, ab hoc ad Generalem, a Generali ad Cardinalem protectorem. Ita pluries decreverunt RR. Pontifices.

Excipe tamen casum, quo appellatur a subdelegato delegati Papae, qui delegavit non in totam, sed aliquid sibi reservando; tunc enim quia delegatus Papae, hujus personam gerit, non ad Papam, sed ad delegantem ipsum appellari debet. Adhaec praetermissis judicibus intermediis immediate potest appellari ad legatum Pontificium existentem in provincia sibi decreta.

Denique quod spectat ad delegatum, et subdelegatum, a sententia delegati ad primum delegantem appellatio fieri debet l. fin. ff. *qui et a quo appell.* a subdelegato ad primum delegantem, si delegatus subdelegavit totam causam, si vero aliquem tantum articulum, tunc appellatio facienda est ad delegatum a subdelegato c. 27. §. *porro de offic. deleg.*

(1) *Alexand. III. c. si duobus 7. de appell. cui consonant Innoc. III. in c. sollicitudinem 14. eod. et Innoc. IV. in c. eod. in 6.*

tuto ab Episcopi sententia unus Romanus Pontifex appellari posset, cujus primatui jure divino instituto insitum est jus appellationis; si etiam Metropolitae, et Patriarchae appellantur, id ex lege ecclesiastica repetendum est. Lex vero ecclesiastica, praeterquamquod nullius ponderis est, nisi sit a supremo Ecclesiae capite, vel lata, vel probata, profecto quod jure divino Romano Pontifici competit, tollere, atque abrogare non potest, proindeque cum concessum est Metropolitis, et Patriarchis, ut ab Episcopi sententia ad ipsos appellaretur, integrum in Rom. Pontifice jus appellandi ad ipsum mansit.

Quibusvis in causis appellari potest, et in eadem causa etiam saepius (1), etiam a futuro gravamine, quod sibi quis jure metuit inferri (2). Excipiuntur tamen ab hac regula 1.° causae, quae non patiantur dilationem in ordine ad effectum suspensionis, et a decretis provisoriis, uti si agitur de alimentis futuris, stipendiis, salariis, testamento aperiendo (3); 2.° causae criminales (a); 3.° quae sunt paternae correctionis scilicet si Praelatus non ut judex, sed ut pater juxta canones, vel constitutiones ordinis procedat (b) (4);

(a) Secundum jus romanum appellare poterat et reus, et quivis alius ejus nomine tum mandantis, tum etiam inviti ff. *de appel.* l. 6. In foro Ecclesiae « si aliqui, quos manifestum sit et no» torium, uxorem alterius retinere, aut injecisse manus violen» tas in clericum, appellaverint; eorum appellationi non est ali» quatenus deferendum » c. 14. eod. Si autem excessus publicus non sit et notorius, appellantibus praefigitur terminus, et censura ecclesiastica compelluntur prosequi, aut remota appellatione sententiae judicis ecclesiastici parere c. 13. et 14. eod.

(b) Ex Concil. Later. IV. additur *nisi formam excesserit obser-*

(1) *Cap. 29. de appell.* (2) *Cap. 31. eod.*

(3) *L. 7. ff. de appell. recip.*

(4) *Cap. 3. eod.*

4.° in causis censurarum, ubi quidem appellari potest ad superiorem, ut hic de censurae justitia cognoscat; effectus tamen illius non suspenditur per hujusmodi appellationem, nisi facta sit ante latam sententiam (a) (1). Itaque appellatio a censura ex. gr. interdicti jam impositi, licet non liberat ab interdicto observando, habet tamen effectum, ut interdictus dein excommunicari non possit (2); 5.° in causa electionis ad impediendam ejus executionem, vel confirmationis electionem sequutae, nisi appellans alleget causam valde rationabilem ex. gr. opponendo defectum notorium, vel qui in continenti probari possit; 6.° non appellatur in causa decimarum, si scilicet Parochianus non possit exemptionem ostendere; 7.° a monitione, vel mandato de residendo in Ecclesia, quam quis obtinet; 8.° in causis levibus, et valde modicis, ex. gr. possessionis momentaneae etc. Ita DD. Denique utroque jure statutum reperitur nemini licere a tribus sententiis conformibus appellare (3).

Effectus appellationis vel *suspensivus* est in eo quod suspendatur jurisdictio judicis, ita ut non valeat ultra prosequi judicium, et maxime executionem senten-

---

vandam in correctione praelati. Ex Trid. sess. XXII. c. 1. *de reform.* sublata est appellatio in causa correctionis quoad effectum suspensivum non devolutivum.

(a) Quando a canonica commonitione praemittenda ad validitatem sententiae c. 26. eod. vel a minis censurae quis appellat, judex, qui minas intentat, praefigit competentem terminum ad prosequendam appellationem, intra quem si prosequi neglexerit is, qui appellavit, judex libere sua auctoritate utitur cap. 13. et 14.

(1) *Cap. 55. eod.*

(2) *Cap. 37. eod.*

(3) *L. un. c. ne liceat tertio provocare et. c. sua nobis 65. de appell. Clement. I. de sentent. et re jud.*

tiae, etsi dederit apostolos refutatorios, de quibus infra (a), vel *devolutivus* et in eo est, quod causa tota remittatur ad judicem superiorem, ut ab eo examinetur, et per novam sententiam definiatur (b).

(a) Quod si quid novum attentatur praejudicans causae, aut priori sententiae, aut appellationi, non valet c. 7. *de appel.* in 6. Hoc tamen si non potest revocari cum decisione causae principalis, ante omnia revocandum a judice *ad quem*, si litigans ita velit.

(b) In foro laico plura sunt genera causarum, quae solum devolvendi judicii effectum adimunt; alterum suspendendi respuunt in appellationibus, ut fit 1.° in iis quae sunt decreta pro alimentis praestandis, quia venter non patitur dilationem, 2.° super spolii restitutione et momentanea possessione l. un. c. *si de momentanea etc.* 3.° in judiciis arbitrorum ex compromisso, 4.° in modicis litibus infra duas auri uncias ex usu fori, 5.° in causis executivis, quae privilegium jure municipali probatum habent paratae executionis ex DD. In causis ecclesiasticis Benedictus XIV. in const. Rom. Curiae 115. a §. 8. ad 12. *de reform. tribunal. urb.* t. 1. Bullar. et const. *ad militantis* 48. eod. tom. 1. denegat speciatim appellationi et recursui vim suspensivam in causis *executionem* citationis mandati, aliusve provisionis Rom. Curiae spectantibus, in causis *modicis* valorem scutorum quinque monetae regionis non excedentibus; in aliis quibuslibet post duas sententias continuatas conformes; in causis *mercedis* vel diurnae vel menstruae, aut de *alimentis* futuris, aut de restituendo *deposito*, aut solutione schedulae vulgo dictae *pagherò per altri tanti*; aut onerum cameralium, vel communitatis, ant canonum et *pensionum* domus; jubens ut appellatio vim habeat suam in solo devolutivo sine praejudicio legitimae executionis. Addit causas itidem exceptas *obligationum cameralium*, aut vim *cameralis* habentium etc.

Demum in executione decretorum S. C. Trid. Benedictus idem XIV. inhaerens suorum praedecessorum vestigiis constitutionem edidit *de appell. et inhib. conced.* vel *denegand. const. ad milit. Eccl. cit.* declarans, vi suspensiva omnino carere inhibitiones, quas appellantes impetraverint a decretis episcopalibus, aliorumque ordinariornm pro divino cultu in missarum sacrificiis observando, pro cogendis ad publicas processiones exemptis, pro litibus praecedentiae dirimendis, pro censuris episcopalibus, festivisque diebus servandis, et divinis chori officiis; insuper pro

Forma appellationis interponendae, vel prosequendae jure statuta est. Et quoad formam 1.° regulariter interponenda est appellatio, ne sit invalida, coram judice, qui sententiam tulit; huic enim vetitum est procedere, posita appellatione, ne tamquam attentata revocentur acta (a). Quod si copia judicis haberi non possit, tunc fieri potest scripto apud Notarium, vel in *praesentia bonorum virorum*, protestatione proposita, appellationis causa expressa (1), modo postea intimetur judici *a quo*; 2.° appellatio potest fieri in *continenti*, hoc est judice adhuc pro tribunali sedente et viva voce, ac stando in uno pede ex. gr. *appello*, *provoco* etc. (b) (2). Si vero fiet ex intervallo, fie-

---

clausura monialium pro erectione et regimine seminarii, pro vita et honestate clericorum, pro visitatione pastorali, et contra desertores vitae, et vestis clericalis; item contra regulares extra claustra delinquentes, concubinarios, aliosque criminosos; Contra examinandos ad beneficia, et notarios clericos, et capitulares sede vacante, oeconomos, et debentes mercedem solvere aliudve debitum personis miserabilibus.

Ad providendum tamen abusui jurisdictionis, quem non raro incurrunt Ordinarii locorum in causis hujusmodi exceptis, laudatus Pontifex cavit tunc esse locum inhibitionibus, quae vim suspendendi etiam executionem habeant, cum patefiat abusus judicis inferioris corrigendus ex peculiaribus causis adjunctis. Confer const. *ad militanti Ecclesiae* 48. t. 1. Bull. §. 39. ibi enim dicitur monitoria cum inhibitione a curia romana concedenda non esse: *nisi prius ex facti circumstantiis in supplici libello a parte recurrente clare et lucide exponendis et cum aliquo semiplene saltem verificandis, eisdem summarie apparuerit casum illum esse de exceptis, et propterea Episcopo, Ordinario loci esse inhibendum, ne ad ulteriora procedat.*

(a) Si appellatur ante definitivam sententiam alleganda est causa legitima, nempe *talis, quae si foret probata, deberet legitima reputari* c. 59. *de appell.*

(b) Vim appellationis ad sedem pontificiam habet, si quis ejus

(1) *Cap. fin. de appell.* (2) *Cap. 9. eod. in 6.*

ri debet in scriptis, porrecto libello appellatorio (uti etiam si appelletur in interlocutoria sententia simplici (a)) modo fiat intra decem dies; si vero contra absentem lata est sententia, intra eundem terminum appellandum est, sed postquam scientiam ejus habuerit (1); 3.° Apostoli interponendi sunt (b), qui peti proin debent intra triginta dies ab interposita appellatione et quidem *instanter*, et saepius; verum addi solet *instantius instantissime*, saltem uno contextu, secus censetur appellationi renunciatum, uti etiam si recusentur apostoli a judice *a quo* intra dictum terminum

---

protectioni se subjiciat, etsi vocem appellationis non exprimat c. 34. eod. Item si a Papa avocetur causa c. 56. et Trid. sess. 24. c. 20. *de reform.* vel si quis ob causam suam accedit ipse ad sedem apostolicam c. unic. *de cleric. peregr.* Cujus effectus est, ut nihil interim in praejudicium causae possit innovari.

(a) Excipe causas breviores, et minoris momenti; in his enim etiam post intervallum appellari potest viva voce, at in libello exprimi debet, quis appellet, contra quem, et a qua sententia.

(b) Apostoli vox est a Graeco *αποστελλω* latine mittere; unde sunt libelli missi seu litterae dimissoriae ad judicem *ad quem*, quibus judex *a quo* de interposita appellatione testatur, ac de ejus justitia, vel injustitia mentem suam declarat. Hinc Apostoli alii dicuntur *dimissorii*, si testantur interpositam, et admissam appellationem coram judice *a quo*; alii vocantur *reverentiales*, qui nuntiant appellationem esse admissam solum ob reverentiam erga Superiorem, ad quem est appellatum; alii appellantur *regulares*, quibus judex *a quo* significat judici *ad qaem* appellationem esse admissam addita causa, quam si hic judicat esse legitimam, remittit ad priorem judicem; alii sunt *testimoniales*, per quos notarius, vel aliquis vir gravis testatur, quod apud se fuerit interposita appellatio. Demum sunt *conventionales*, qui a parte adversa dantur. Sed hodie *apostolorum* nullus fere usus est in utroque foro, sed appellans libellum porrigit superiori, quo se gravatum adfirmans postulat literas *inhibitoriales*, quibus inferior judex non amplius procedere, et acta transmittere jubetur.

(1) *Cap, 8. eod. in 6.*

oblati. Prosequitur inde appellationem, appellans, cum judici superiori apostolos vel exhibet, vel iis negatis de appellatione a se interposita certum reddit, eamque recipi, adversarium citari, et judici inferiori praecipi rogat, ne in causa procedat, sed acta, vel exemplum actorum transmittat. Litteras nimirum *inhibitoriales* petit a superiore judice dandas, ne procedat, *compulsoriales* ut acta primae instantiae transmittat, quae non conceduntur nisi cum inscriptione tenoris sententiae (1). Utroque jure prosequenda, et finienda est appellatio a quocumque gravamine etiam extrajudiciali intra annum *a die interpositionis* (2), *aut si justa causa intercesserit, alius annus est concessus* (3), imo per restitutionem in integrum potest obtineri tertius annus. Insuper etiam judici *a quo* datum est praefigere terminum breviorem, non autem potest judex *a quo*, vel partes tempus a jure concessum imminuere judici *ad quem*. Sed nec hodie hujus fatalis temporis ob litium frequentiam ratio habetur (a).

(a) In praxi judex *a quo* libello appellationis praesentato, ac viso nihil fere decernit, expectaturus literas inhibitorias judicis *ad quem* intra mensem producendas, cum *apostoli* appellationum eas nunciantes judici *ad quem* jam in utroque foro exoleverint, uti dictum fuit. Appellans interim adit judicem superiorem, eique exhibet praecipuum appellationis subjectum una cum gravantis sententiae tenore, ejusque transumpto, postulans transmissionem actorum, literasque inhibitorias.

Curandum ab appellante inde, ut inhibitoriae literae decretum continentes, ut judex *a quo acta transmittat etc. amplius non procedat in ea causa, et omnia innovata ad pristinum reducat*, rite notificentur non modo adversario collitiganti, sed etiam judici *a quo*. Adhaec justa mercede soluta scribae pro redigendis actis in

(1) *Confer const. citatam Bened. XIV. num. 48.*
(2) *Clem. sicut. 3. de appell.*
(3) *Cap. quum sit 3. ex eod.*

CONCLUSIO SECUNDA

Remedia, quae restant contra sententiae executionem, afferuntur.

Contrario imperio ut revocetur sententia, non tamen definitiva, quum judex super ea jam functus sit officio suo, replicare potest, qui succumbuerit in judicio citatus, et quidem vel in calce ipsius sententiae, vel separato libello, quem praesentare intra biduum

---

apographum exemplum, ea postulabit, ut clausa et obsignata intra dies literis inhibitoriis praefixos transmittantur. Quod si judex *a quo* ipsi haec tradere renuerit, literis compulsoriis judex appellationis eum cogat ad parendum.

A judice *ad quem*, instante appellato, si negligentia appellantis procrastinetur, actorum excriptio decernitur quod *appellans intra tot dies procuret transmissionem actorum*, *alias providebitur super desertione appellationis*. Statis diebus elapsis jubetur, ut intra tot alios dies praecise, et peremptorie producat *copiam* actorum, alias dicto termino elapso appellatio deserta remaneat. Demum adhuc actis non transmissis, monitis, auditisque partibus decernit judex appellationis *interpositam appellationem fuisse desertam etc.* Ob id relaxantur literae, ut ajunt, *moderatoriae*, quibus inhibitio dissolvitur et nunciatur dissoluta judici *a quo*.

Si transmissio actorum sequatur paulo post fatalibus terminis decursis, decernitur adhuc aliqnando auditis partibus arbitratu boni viri *quod procedatur ad ulteriora in causa appellationis exceptione lapsus fatalium non obstante.* E contra processu transmisso debet judicium coram judice *ad quem* intra annum prosequi appellans, aut ex causa intra biennium ex Alexandro III. in c. 5. *de appel.* qui tamen rescripsit appellantem, si per impotentiam omiserit appellationem prosequi, fore elapso etiam biennio audiendum c. 8. eod. Attamen ipse judex *ad quem* moribus id indulgentibus protrahere longius, vel breviare ea fatalia poterit. Citatis itaque partibus judex appellationis ad videndum contra se acta aperiri; condictoque die facta apertura eorundem, dat sine mora terminum, si appellatio sit a definitiva sententia, *ad non posita ponen-*

debet, ubi breviter exponet gravamina sententia illata. *Quod jussit enim vetuitque Praetor, contrario imperio tollere vel repetere licet*, ait lex (1), cui consonant canones (2). Monitis itaque, auditisque a judice partibus decernitur vel quod stat in decisis in decreto lato sub die..., vel quod suspenso decreto lato sub die... fiat etc. prout justum censetur. Quod si adhuc pars se laesam sentiet, suspendere executionem sententiae potest alio remedio scilicet *querela nullitatis* ex notoria injustitia (a) (3), quae dicitur imploratio super vitio, ex quo quis petit sententiam pronuntiari, vel

---

dum, et *non probata probandum*, aut *ordinarium* aut *summarium* pro qualitate causae. Nam appellatio judicium reducit ad litis contestationem. cap. *fraternitatis 17. de testibus*. Unde ambo litigantes novas ex integro faciunt probationes : positiones et articulos ex integro producunt : dummodo ad rem diversam et extraneam non pertineant : alias ut impertinentes rejiciuntur. Inde ad publicationem causae, repulsam, conclusionem, monitionem supra expeditione causae proceditur, et citationem ad audiendam sententiam.

Demum Judex si male appellatam sit a sententia definitiva, eandem confirmabit, atque eandem exequetur. Si vero a sententia interlocutoria male sit appellatum, appellante in expensas damnato, causam remittere debet ad priorem judicem, praecipiendo appellanti ut ipsi obtemperet. Excipe nisi judex *a quo* detulerit appellationi etsi iniquae et frivolae ; hoc enim casu non tenetur judex *ad quem* remittere, quamvis possit, si velit.

(a) Hoc tamen colligi debet, ex eo quod sit prolata contra expressum casum illius legis, aut canonis, aut constitutionis, quam allegare nominatim oportet : vel contra *instrumentum publicum* in actis exhibitum ; vel contra *rem alias judicatam* ; vel citra *solitum juris ordinem*. Ex prag. vero 4. §. 18. *de nullitate* intra sex dies postquam judex steterit in decisis super gravamine contrarii imperii proponi debent in libello nullitates per capita post narratum sententiae tenorem.

(1) *L. quod jussit 14. ff. de re jud.*

(2) *C. cum cessante 60. de appellat.*

(3) *Tit. ff. quae sententiae sine appellat. rescindantur.*

declarari ipso jure nullam (1). Pronuntiari vero potest vel coram judice superiore (2), vel coram judice, qui sententiam tulit, si ordinarius sit; etenim delegatus non a supremo judice etiam per sententiam nullam latam functus est officio suo; desinit proin esse judex in tali causa. Insuper pronuntiatur vel *principaliter*, et sine alio remedio, quandoquidem sententia contra leges, canonesque prolata, licet non sit appellatione suspensa, tamen subsistere ipso jure non potest (3); vel *incidenter* et cumulatim cum appellatione (a). Durat 30 annis, si principaliter, et sine appellatione accipiatur (4). Si vero cum appellatione cumuletur, proponenda est apud Superiorem intra decem dies.

Restitutio in integrum est alterum remedium quibusdam competens personis, adversus sententiae executionem (b). Extraordinarium quidem auxilium le-

(a) Nimirum disjunctive ex. gr. dicendo sententiam esse *nullam*, vel saltem *injustam*. Qui modus magis consulendus; nam arguens sententiam nullitatis *incidenter*, si in probatione defecerit, habet recursum ad appellationem; item suspendit super executionem sententiae propter conjunctam appellationem: *principaliter* autem et unice sententiam arguens nullitatis non habet amplius recursum ad appellationem, neque suspendit sententiam. Clement. 1. *de sent. et re jud.* nisi nullitas sit notoria, aut manifeste probata. Clement. cit.

(b) De extrajudiciali vide l. 1. Decretal. tit. 41. ibi quando per leges fit materia requisita, modus petendi, obtinendi colligi potest. Quod ad praesens remedium attinet, sat erit observare personas hujusmodi esse minores scilicet in foro Ecclesiae 25 annis et quandoque ex justa petendi causa etiam majores, ut si collusio procuratoris cum adversa parte detecta sit, Universitates, Ecclesias, miserabiles personas, et foeminas causa dotis. Quod si duae sint personae, utraque privilegiata, ei conceditur beneficium restitutionis in integrum, quae agit de damno vitando.

(1) *L. 1. c. de execut. rei jud.*

(2) *L. 1. c. de sent ex brevit. recit.* (3) *Cap. 1. de sent.*

(4) *Ita communis ex l. 3. c. de praescript. 30. vel 40. ann.*

gis(a), quo laesus expostulat, ut jura sua denuo experiri, et restaurare possit (1). Etenim effectus restitutionis est, ut *omnia in suo statu esse debeant, donec res finiatur* (2). Hac igitur obtenta omnia in pristinum redeunt, adeo ut novum inchoetur judicium, et praescripto utrique parti termino ad probandum, ad ulteriora procedatur, ut in ordinario judicio. Auditis itaque partibus jam monitis, judex decernit, vel *locum esse petitae in integrum restitutioni*; *vel non esse deferendum petitae restitutioni etc.*; *aut non esse locum; et non esse deferendum etc. aut* e *contra esse locum, sed non esse deferendum etc.*

Denique restat observandum, quod litigans, cui non competit privilegium hoc restitutionis in integrum, possit, et debeat, si velit intra decem dies inhaerere beneficio gravaminis per privilegiarium collitigantem petito; paribus enim armis debet utraque pars contendere. Post hoc tempus uti hoc beneficio non poterit (3).

Adest et supplicatio stricte sumpta, remedium extra ordinem, quo allegata laesione, et gravamine, petitur, ut Princeps sententiam, contra quam hic et nunc ordinarium appellationis remedium non competit, ex mera gratia et benignitate revideat, et retra-

---

(a) Si quis, ait lex *in caus.* 16. in princ. ff. *de minoribus* 25 ann. *communi auxilio, et mero jure munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium.* Hinc privilegium personae non solum requiritur, ut ei talis restitutio conveniat, sed et justa causa, puta mala valetndo, longa absentia, metus, dolus, mutatio status; semper vero oportet, ut laesio sit immodica. L. *scio* 4. ff. *de integr. rest.*

(1) *Ex toto tit. c. si adversum rem jud. et l. 1. et suae ff. quibus ex causis majores etc.*

(2) *L. postulata unic. C. de in integr. rest. postulata etc.*

(3) *Extrag. ann. 1758. §. 1. art. 2.*

ctet (1). Differt ab appellatione 1.° quod illa non suspendet executionem sententiae, modo adversarius praestet cautionem de restitutione, si supplicans vicerit (2); 2.° quod supplicatio proponi possit ad Supremum judicem intra biennium, apud inferiorem, et quidem ipsum judicem, qui sententiam tulit et a quo propter excellentiam appellari non potest, intra decem dies; 3.° supplicari non potest, nisi post sententiam definitivam, exceptis paucis causis (3); 4.° super eadem causa quoad eundem articulum tantum semel supplicare licet. Rarior hujus remedii usus, sed successit fere.

Revisio etiam extat, quod remedium ipsa indicat natura (a), et est humilis ad ipsum superiorem repraesentatio illius, cui non competit appellatio, ut re melius cognita aliud decernat (b). Revisio petenda saltem intra quatuor menses expressa causa, et nihil novi ponendum ex. gr. nova probatio. Executio interim non suspenditur, saltem si adversarius cautionem de restitutione praestet.

(a) Legibus romanis permittebatur appellare *a Principe male informato ad Principem bene informandum. Ab Alexandro* ajebant Jurisperiti dormiente ad vigilantem. Nec id absonum videtur in Ecclesia; appellatum enim a S. Sede ad S. Sedem inter alios scribit Ivo Carnot ep. 159. quia, ut ait S. Bernardus epist. 180. ad Innoc. II. *Apostolica Sedes hoc praecipuum habet, ut non pigeat revocare quod a se forte deprehenderit fraude elicitum.*

(b) Intellige de judice, qui potest gravamen reformare, idque in omni causa scilicet in qua potest supplicari.

(1) *Text. et DD. in l. 5. auth. quae supplicat.*

(2) *Auth. quae supplicare c. de precibus etc.*

(3) *L. supplicare 2, c. ut lite pend.*

MONITUM.

De termino judicii summarii, et sententia.

Quae judicii summarii differentiam ab ordinario statuunt quoad terminum ipsius, maxime sunt 1.° quod conclusio in causa, utpote ad substantiam non pertinens judicii, in summario potest omitti; 2.° quod solemnitas tum praefationis, tum judicis pro tribunale sedentis nec adhibetur in definitivis sententiis. Quoad sententiam Clementina, quae judicium summarium, qualiter sit peragendum, explicat, sic se habet (1): « Sententiam vero definitivam, citatis ad id, » licet non peremptorie, partibus in scriptis, et prout » sibi placuerit, stans vel sedens proferat; etiam, si » ei videbitur, conclusione non facta, prout ex peti» tione, et probatione, et aliis actitatis in causa fuerit » faciendum » ex. gr. *In causa vertente in hac curia episcopali N. inter. . . actorem ex una. . . et reum conventum ex altera parte de ea super. . . . ceterisque prout ex actis, fuit latum definitivum decretum tenoris sequentis: die. . . per curiam episcopelem N. ejusque Reverendissimum Dominum Vicarium generalem N. visis . . . fuit definitive decretum quod. . , neutram partem ad expensas condemnando aut victum victori ad expensas condemnando, quarum taxam sibi, vel cui de jure in posterum reservavit, et ita etc. omnis etc.* Nec a Cancellario additur, ut in ordinario judicio, *lectum latum etc.*

Sententia rite notificata succumbenti cura actoris,

---

(1) *Saepe contingit 2. de V. S.*

hic inde decem expectabit dies, ut sciat, utrum remediis uti velit pars adversa contra executionem sententiae, quae vel discutienda manent, vel judicium appellationis provocabunt. Alias ad exequendam ipsam sententiam proceditur, prout in ordinario judicio.

CAPUT VIII.

DE PROCESSU CRIMINALI.

Tu quis es, ait Apostolus (1), *qui judicas alienum servum? suo Domino stat, aut cadit.* Quae verba sic explicat Augustinus (2) « noluit Dominus » hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis » sed potius ex lege Dei secundum *ordinem* Eccle» siae, sive ultro confessum, sive accusatum, atque convictum ». Hunc ordinem igitur necessarium in criminibus plectendis nostra refert quoque interpretari sive instructionem criminalis processus, qui a civili praecipue differt 1.° ingressu, 2.° actione, qua petitur non solum ut privatae personae, sed et publicae justitiae jus resarciatur, 3.° exitu, qui ad declarandam poenam puniendorum tendit. Hoc ex sequentibus conclusionibus magis patebit.

(1) *Epist. ad Rom. c. 4.*
(2) *In cap. multi 18. c. 2. q. 1.*

CONCLUSIO PRIMA

De accusatione, denunciatione, et inquisitione, quibus jure Decretalium judicium criminale introducitur, pertractatur.

Innocentius III in Concilio Lateranense IV caput celebre *Qualiter et quando* edidit (1), quod Tridentinum innovavit (2). Ex eo colligitur causam criminalem introduci posse vel per *accusationem*, vel per *denuntiationem*, vel per *inquisitionem* (a). Et pri-

(a) Ordinem judiciorum, quem ab ipsa natura, divinisque legibus dictatum jam adnotavimus, ipsumque a primordiis Ecclesiae servatum externo etiam foro, locum in criminalibus etiam habuit; jam enim ipsa ab Apostolo acceperat 1. Tim. V. ne qua temere praesertim adversus praesbyterum, et Episcopum reciperetur accusatio: et ne facile crederetur, nisi quod esset duobus, vel tribus testibus probatum; item ut rei ad aliorum terrorem publice increparentur 1. Tim. v. 20. Deutro. autem XVI. 19. studiose indagari praecipitur, qui, qualesve sint accusatores, accusati, testes, quibus moribus, fama, quo animo; ne inciderent judices in acceptationem personarum toties divinis oraculis damnatam. Demum inter alia ex Constitutionibus apostolicis lib. 2. c. 49. et Deutor. 29. 15. jus talionis in falsos testes praeceptum reperitur. Revera in actis Conciliorum praesertim Ephesini, et Chalcedonensis deprehendi facile potest, qui fuerit talis ordo in veteri disciplina Ecclesiae. Querela tunc libello exhibita Episcopo, vel Synodo (vestigia juris civilis in hoc sequebatur canonicum) accusatio fiebat cum *inscriptione* non solum, quae concipiebatur cum designatione anni, mensis, delicti, loci, et personae l. *libellorum* 3. ff. *de accusat. et inscript.*, sed etiam *subscriptione* in crimen manu accusatoris, vel alterius pro eo, si ignarus esset literarum, qua delator ad eandem supplicii poenam h. e. *talionis*, ut dicunt, se obstringebat, nisi delatum crimen probasset; qui cavebat simul se usque ad sententiam perseveraturum, unde si ab exequutione desistebat, *tergiversari* dicebatur a lege, et in-

(1) *Cap. 8. quod refertur in cap. Qualiter 24. ex de accusat.*
(2) *Sess. XXIV. de Reform. cap. 3.*

mum alicujus criminis apud judicem competentem legitima facta delatio ad publicam vindictam est accusatio, quam proin ex citato capite *praecedere debet inscriptio* (a). Verum ad praevenienda incommoda, quae ex privatorum accusationibus non raro acerbe ferebantur, sequutis temporibus in utroque foro publicum accusandi munus minister seu *promotor* fiscalis sustinuit, sublata facultate privatis jam competente accusandi apud tribunalia, quae ex principiis democratiae deducta erat. Promotoris ferme in omnibus criminibus fuit accusare, exceptis, jure municipali, stupro,

---

famia notabatur. Nec sine accusatore, et libello vetus Ecclesia judicia instituebat, nisi crimina publica essent, aut criminosi sponte sua delictum faterentur, et se deferrent. Accusare vero poterant omnes, modo essent idonei, rectae fidei, et bonae famae. Accusatus ter quaterve citatus, ut defensioni locus esset, Episcopus quidem per Episcopos saltem duos, clericus per clericos, et laicus per laicos, si comparere detractaret, contumaciae poena, instructis actis, damnabatur scilicet depositione, vel excommunicatione mulctabatur: quo pacto Nestorius depositionis sententia mulctatus fuit. Comparens per se, quolibet excluso, qui ejus vices teneret nisi ob ejus absentiam excusandam, interrogatus audiebatur, instruebatur judicium, apertis instrumentis, idoneis testibus, quos ipse accusatus interrogabat, et contra eos, quae vellet, provocabat. Notarii interim h. e. Diaconi, vel Lectores per signa, aut notas scriptis mandabant cuncta, quae in judicio fiebant, dicebanturque tum a judice, tum a partibus. Atque haec acta ab Episcopo servabantur, ut apud posteros de judicii integritate constaret. Inde ubi satis instructa erat causa, sententia, praesente reo, sollemniter ferebatur, vel eo absente scripta ei insinuabatur, quod adversus Nestorium factitatum scimus.

(a) Jam notavimus supra, quam obligationem accusator suscipiebat *inscriptione*. Hujus necessitatem, de qua canones decernunt, juvat intelligere ex legibus Romanis ortam; cum enim eo tempore non existeret accusator publicus, omnes poterant accusare modo *subscriptioni* se submitterent, et expresse per leges et canones non prohiberentur accusare.

et adulterio, in quibus sine partis offensione, querela, et judicium institui vetitum est, ne familiarum status turbaretur.

Promotorem interim subjici nullo modo *inscriptioni* jus voluit, sed tantum extra ordinem puniri poterat, si commissa sibi potestate in perniciem privatorum abuteretur, qui tamen ordinarie non accusabat, nisi aut denuntiatio intervenisset, aut propter clamorem publicum praecessisset inquisitio.

Denunciatio aliter procedendi modus est in criminalibus (a), quam tamen ex laudato capite *Qualiter* præcedere debet *caritativa admonitio*, nec ad puniendum, sed ad emendandum natura sua tendit. Quapropter Episcopus corripiet secreto quidem denuntiatum, sed in negantem ipsum non instituet judicium, nisi de impediendo futuro crimine agatur (1)(b). Verum quia

---

(a) Denunciatio in genere est delatio simplex alicujus criminis superiori legitime facta sine obligatione probandi. Differt ergo ab accusatione, quatenus sine solemnitate, et cautione fit, nec ordinarie, et necessario tendit ad vindictam publicam. Haec alia est *evangelica* sive caritativa, paterna, fraterna etc. cujus hic locus non est: alia *judicialis*, quae fit superiori tamquam judici ad vindictam, vel aliud bonum publicum, aut privatum; et tunc debent afferri judicia gravia, ut possit ille procedere ad inquisitionem. Subdividitur vero haec in civilem, et canonicam, quae ita dicitur, quia a jure canonico orta judici ecclesiastico fit ad impediendum aliquid illicitum ex. gr. ne indignus ordinetur etc. quaeque est vel *generalis* et *publica*, et fit, ne crimen committatur vel continuetur, ex. gr. ne matrimonium contrahatur cum impedimento, vel contractum dissolvatur; vel *specialis* et *privata*, quae fit per eum, cujus interest ex. gr. bonum habere praelatum, administratorem etc. ut si post binam monitionem non sit corrigibilis, officio et beneficio removeatur c. 1. *de offic. Custod.* et cap. 31. *de simon.*

(b) Si denuntietur impedimentum matrimonii, judex procedere

(1) *Cap. 13. ex de despensat. impub.*

denuntiatio loco diffamationis habetur, et judici ad inquirendum viam aperit, judicia criminalia etiam per denuntiationem instituuntur. Quamvis autem jure poterat quisque denuntiare, etsi alias accusare vetitus, tamen is nec ad criminis probationem adstrictus est, nec inscriptioni subjectus. Denuntiatio, quia ad accusationem accedit, fieri debet a personis non suspectis, et quidem de ipso crimine, additis in specie adjunctis, et argumentis ad gravandum denuntiatum validis.

Demum idem Innocentius III creditur esse, qui et tertium modum instituit nempe *Inquisitionem*, qua ex officio in crimina inquiritur, et causa instruitur (a). Est autem *Inquisitio* seu informatio praevia: processus, quo minister publicus ex officio citat, audit, et recipit testes circa delicti veritatem, auctorem, et circumstantias, aliaque media notat, quae ad detegendam veritatem inserviunt. Ei causam dedisse videntur corrupti clericorum mores, contra quos tum quod laici clericos accusare vetarentur, tum quod propter subscriptionis discrimen, non facile accusatio institui poterat.

Moribus praesentibus ordinarie inquisitione, proce-

---

potest, ne contrahatur; nam unius testimonium admittitur pro impedimento nuptiarum, uti suo loco dictum fuit.

(a) Triplex inquisitio distinguitur 1.ª *simpliciter generalis* seu *generalissima*, quae fit ex mero officio judicis, cum nulla persona vel crimine expresso, generatim inquiritur tantum, an committantur crimina in aliqua provincia, communitate etc. c. 25. *de inquisit.* et l. 13. ff. *de offic. Praesid.* 2.ª est *generalis specialis* seu *mixta*, quae est partim generalis quoad personam, et partim specialis quoad delictum, vel vicissim, ex. gr. si constet quidem homicidium esse patratum, sed inquiritur, quis illud commiserit, quae est inquisitio praeparatoria ad specialem, 3.ª *simpliciter generalis* quando de certo et determinato delicto, et etiam de certa et determinata persona inquiritur ad delictum puniendum, de qua hic praesertim agitur.

ditur in crimina, cum nullus accusetur a Promotore, quin prius praecedat informatio; quam quidem auctoritate, et de praecepto judicis necesse est, ut ille requirat scilicet ut tales audiantur testes, aut alia adhibeantur media (a).

A judice autem, ut decerni possit informatio, requiruntur aliqua saltem indicia, ut quis suspectus sit de crimine. *Inquisitionem praecedat clamosa insinuatio*, ut ait adhuc laudatum caput *Qualiter* (b).

(a) Ex quo sequitur, quod reus, contra quem inquiritur, debeat esse subjectus jurisdictioni inquirentis, vel ratione causae, vel domicilii, vel loci delicti, nec specialiter privilegiatus.

(b) Nec infamia personae, nec indicia commissi criminis praecedant, oportet, si de inquisitione simpliciter generali agatur, ut constet ex Trid. sess. VII. c. 8. et sess. XXI. c. 8. *de Reform.* Nec deest ratio; nam tali modo nulli fit injuria, cum de nullo in particulari fiat inquisitio. Probabilius est id etiam extendendum ad inquisitionem mixtam ex DD. et praxi utriusque fori. Inquisitio specialis contra personam particularem a judice institui non potest, nisi publica infamia illius praecedat, ita ut alias inquisitio sit nulla et invalida, sive judex sit delegatus, sive ordinarius; nec revalidatur, etsi testes postea producti plene probaverint delictum, de quo inquisitus prius non erat diffamatus. Quod enim ab initio est vitiosum, non potest tractu temporis convalescere R. 29. ff. *de R. I.* Excipe casus seqq. 1.° si aliunde sufficientia, et legitima indicia habeantur contra inquisitum, quae loco diffamationis sunt; nam tunc potest judex inquirere, et procedere ad informationes, et testes recipiendos; 2.° si denuntiatur quis per aliquem virum probum, quod sufficit ad inquirendum super infamia tantum, non super ipso crimine, nisi prius constet de infamia: Abb. in c. 14. n. 4. *de inquisitionib.* 3.° si pars est praesens et sciens, aut per contumaciam absens, et nihil opponat, inquisitio facta sine praecedente infamia tenet ex c. 1. et ult. eod. in 6. 4.° quando inquisitio fit non ad effectum puniendi crimen, sed corrigendi; 5.° in crimine haereseos, Apostasiae, laesae majestatis etc. quae vergunt ad magnum damnum sive spirituale, sive temporale Reip. etsi etiam in his aliquae suspiciones ex indiciis non levibus ex Lessio l. 2. c. 29. n. 128. debeant haberi.

Qualis vero praecedere debeat fama criminis, arbitrio relinquitur judicis (a).

CONCLUSIO SECUNDA

De informatione criminali, et citatione reorum eorumdemque custodia, vel contumacia agitur.

Intellige prius, *et tunc increpa*, sacrae scripturae docent (1). Hinc judex criminis delatione recepta decernit *quod super expositis capiatur informatio audito fisco*: nisi enim constet crimen fuisse admissum, nihil est, quod judex judicium instituat (2) quin nec locus poenae esse potest, etsi reus crimen fateatur (3). Tunc continuo ipse judex citari jubet testes a delatore nominatos (b) ut *de delicto in genere* con-

---

(a) Fama mala seu infamia dicitur status laesae dignitatis, vita et moribus reprobatus. Differt a *clamore* seu *rumore* in hoc quod hic non habet certum auctorem, ut fama, et sparsus sit per minorem, fama vero per totam vel majorem viciniae partem. Insuper fama in civilibus, et magis in criminalibus non facit plenam probationem, nisi haec tria concurrant 1.° ut sit orta ex verosimilibus causis et conjecturis, 2.° si ultra causas, ex quibus orta est fama, aliae etiam conjecturae, ac praesumptiones adsint 3.° si hae non sint levia adminicula, sed graves et urgentes. Ita DD. Item in iis, quae sunt difficilis probationis, fama adjunctis aliis adminiculis facit plenam probationem, vel saltem transfert onus probandi in adversarium.

(b) In literis citatoriis, quibus praecipitur, ut peremptorie compareant in loco speciatim designando, causa seu species delicti reusque delatus usu fori reticetur. Sic tamen de jure communi.

(1) *Eccl. cap. 11. v. 7.*

(2) *L. 1. §. 24. ff. ad Senatusc. Silanianum et cap. 13. ex de desponsat. impub.*

(3) *L. 24. ff. ad Leg. Aquil.*

stet, num scilicet fuerit admissum, *et de delicto in specie*, quisnam nempe illud admiserit, quod est fundamentum judicii criminalis, et quorum unum si deficiat, judicium nullum esse potest. *Quocirca nec accusatio locum habebit*, rescripsit Innocent. III (1), *cum non esset quod posset legitime accusari.* Imo ne impune abeant rei, invitos, ubi opus est, vel mulctae indictione, vel captis pignoribus, vel etiam infligendis censuris ecclesiasticis, compellere potest judex ipse ad testimonium ferendum, tum ex canonibus (2), tum ex legibus (a). Informationem captam promotori tradit, qui prout reus gravatus est,

(a) Excipe in socerum, generum, vitricum, sobrinum, sobrinam, sobrinoque natum, utrumque parentem, virum, uxorem. L. *Julia* 4. ff. *de testibus* et can. *si testes* 3. cap. 4. qu. 2. Senes quoque, valetudinarii, milites, absentes causa reipublicae, impedimento legitimo detenti, publicani, pupilli l. *inviti* 8. lib. 15. ff. eod. Impuberes ante 14. annum aetatis non sunt ad testimonium admittendi ex Concil. Carthag. VIII. c. *testes* 1. c. 4. q. 2. quum pueris canones et leges prohibuerint deferri juramentum, quod ex c. *hortamur* 2. c. 3. q. 9. requiritur. Quamvis vero ex pueris nondum septem annos habentibus non cessarunt judices indicia colligere. Vide quae de testibus dicta sunt concl. 4. et 5. pag. 117. 121. Hoc tamen monitum volumus quod seorsim, et occulte audiri debent, exceptis causis fidei; in his enim ex Clem. IV. in c. *ut officium* 11. *de haereticis* in 6. depositiones testium coram duobus religiosis, et discretis personis, aut idoneis viris accipiendae, et ab iis subscribendae sunt. Insuper nullus deponere debet, nisi praesens; ait enim lex c. *Testes* 15. c. 3. q. 3. *Testes per quamcumque scripturam testimonium non proferant sed praesentes.* Unde delegandus est, qui audiat depositiones illorum, qui non possunt se in judicio sistere. Quod si contigerit ignaros patrii sermonis examinare puta Gallos, Anglos etc. eos in praesentia duorum interpretum, ut interroget, audiatque, necesse est ex DD. Adhaec testium

(1) *Cap. ad dissolvendum 13. de dispensat.*

(2) *Ex tit. Decret. de testibus cogendis.*

conclusiones suas efficit. Hic visis actis instabit pro indiciorum copia, et criminis qualitate reum *citari* vel ad *informandum* et *cogi*, vel ad *informandum* simpliciter, vel ad *deponendum tamquam principalem*, vel ad *deponendum* simpliciter, et haec in utroque foro. In ecclesiastico citatur etiam vel ad *dicendam causam*, *quare non debeat excommunicari seu suspendi* etc.; ubi agitur de censuris ferendae sententiae, aut *declarari* non debeat incidisse in excommunicationem etc. ubi de censuris agatur latae sententiae (a).

Auditis Promotoris conclusionibus judex decernit quanam forma reus sit citandus, et an simul eum in custodiam sive carceres detrudi oporteat; nam tantum ipsi, non promotori hoc leges tribuunt (b).

---

depositio a Cancellario conscribenda, testibus legenda, ut videatur, an in ea perseverant et ab eo consignanda est.

(a) Affinis capturae est personalis citatio, ad *informandum et capi*. Hac citatione reus ante judicem comparere tenetur, et in custodiam mittitur, praecipiturque in delictis levioribus pleno probatis, aut gravibus, quae excedant relegationis poenam, semiplene tantum probatis. Simplex citatio ad *deponendum* habet locum, ubi ambiguum est crimen, et reus nomine, aut fortunis nobilitatur: *Ad deponendum tamquam causa principalis*, si delictum est grave, et indicia sunt leviora.

(b) Jam inde a IV saeculo Ecclesiam ex utroque jure carceres, quae dicebantur *Decanica*, habuisse ad puniendos clericos criminum reos patet ex l. 30. cod. Theod. *de haeretic.* quae est constitutio Arcadii, et Honorii, item ex Nov. 79. c. 2. et capitular. Caroli M. 1. 3. c. 378. apud Balutium. Imo ipse Gothofredus interpretans t. 6. pag. 166. edit. Lipsiae citatum locum, dum male sibi persuadet, quod Ecclesia his temporibus jurisdictionem proprie non haberet, sed audientiam tantum, ut antea adnotatum fuit, certe sibi contradicens fatetur *in decanicis, quae procul dubio loca conclusa fuere, immorigeros clericos asservari consuevisse*. Ex con-

Citatus reus nec legitime impeditus, puta ob infirmitatem, aut gravem aliam causam (1) si intra statutum tempus non compareat, declaratur contumax. Quare tamquam praesens damnabitur. Imo Gregorius IX statuit (2), *ut excommunicetur quasi contumax*; idque *in causa praesertim fidei*, ut Alexander IV statuit (3) cum in aliis alia similis poena levitati tamen, vel gravitati criminis sit attemperanda (4). Ut autem his poenis obnoxius sit, semel atque iterum contumaciae incusetur, opus est, legitime inter utramque incusationem dilapso spatio. Absentes etiam jure sacro in contumaciam damnari consueverunt, quod Gratianus observat (5).

---

ciliis, et constitutionibus PP. colligi possunt plures canones, qui de carceribus ipsis agunt; unum S. Greg. M. nobis sat erit hic afferre, qui epist. 4. lib. 11. ad Sabin. subd. reum in *districtam custodiam* redigi jubet.

Ann. 1834 die 16 aprilis conventione facta inter Gregor. XVI et Ferd. II feliciter regnantes art. 4. habetur: « Ogni Vescovo » potrà avere nel suo episcopio una prigione, o camera di cor» rezione per gli ecclesiastici, che crederà di dover fare arre» stare ».

(1) *Cap. si aegrotus 1. c. 5. q. 3.*
(2) *Cap. quia 43. ex de rescript.*
(3) *Cap. quum contumacia 7. de haeret. in 6.*
(4) *Cap. 43. cap. ult. de rescript.*
(5) *Post cap. 13. c. 3. q. 9.*

CONCLUSIO TERTIA

Nonnulla de examine rei constituti, confirmatione informationis, confrontatione testium adnotantur: de defensione, et publicatione actorum summatim dicitur.

Quum leges neminem judicari de quovis vel manifesto crimine sinant, nisi ab ipso reo judex ante audierit quid, et cur fecerit: *Eorum qui accusantur*, inquit S. Damasus P. (1), *causas discutere non licet, priusquam canonice vocati ad synodum veniant, et praesens, per praesentem agnoscat veraciter et intelligat, quae ei objiciuntur*. Attamen, ut subdit Innoc. III (2), principales personae generatim non per advocatos, sed per semetipsos factum proponant (a). Hinc reus legitimum examen in judicio personaliter constitutus subire, suoque judici jure interroganti respondere debet. Hoc instituitur examen jure recentiori, praesente solum promotore Fiscali (b), cui conceditur, si quando indicia multa urgeant, reo adhuc pertinaciter negante, ut cum particula sic dicta *monitus* examinetur (c). Reus vero

(a) Jure municipali universitates, et nuptae mulieres sive accusent, sive se in judicio tueri velint, procuratoris opera uti non prohibentur *Const. Generalia jura ut universit. accusat.* Procuratorem sibi constituere licebit, etiam si plures, quam decem personae de eodem crimine accusantur cap. *de studio.* Imo et reis in custodia detentis; nam litis dominium apud nos exolevit.

(b) Juramentum reo examen subituro olim deferri solitum, pro lapsis moribus, et frequentibus perjuriis, quibus judices decipi solebant, sublatum fuit: imo Benedictus XIII praecepit sub poena nullitatis actorum, ut nullus cogatur invitus ad jurandum dum examinatur.

(c) Scilicet si reus negaverit sese crimen delatum perpatrasse,

(1) *Can. eorum 75. c. 11. q. 3.*

(2) *In c. pastoralis 14. de judiciis.*

sine ulla mora interrogationibus tenetur respondere, neque datur aliqua dilatio ad deliberandum, et quaecumque dixerit, aut diversos animi motus ediderit, a notario scripto traduntur: usuque obtinuit, ut examinetur, antequam dentur defensiones, aut indicia in eum congesta manifestentur. Porro reo crimen negante, Fiscali attestante, dicitur fieri litis contestatio.

Qua posita si nulla obstiterit exceptio, vel post eas discussas, riteque sublatas, conceditur *terminus dierum* fere quatuor plus minusve arbitrio judicis *reo ad se defendendum*, *Fisco et parti offensae ad impinguandum*, vel alia forma pro diversis causae meritis, et rei circumstantiis.

Sed quia currere non incipit datus terminus defensionis, nec suas exceptiones illico reus ferre valet, nisi testimonia informationis fiscalis antea rite confirmentur, vel solemni repetitione, vel spontanea repetitionis renunciatione, vel juratis in faciem rei fiscalibus testibus (a). Ob id citandi antea sunt iterum te-

---

omnia ei aperiuntur, quae contra ipsum faciunt, ut ipse certior fiat de singulis in eum urgentibus indiciis, et testimoniis reapse congestis, quae ipsum et mendacii, et perjurii redarguant, (ut ipsum Cain jam convictum ad fatendam veritatem adegit Deus. Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat) ideoque moneatur non minus humano, quam divino jure adstringi ad veritatem judici aperiendam.

(a) Statuerat primum Justinianus Novel. 30. c. 9. quod confirmavit Greg. M. cap. *in nomine* 2. *ex de test. et attest.* nimirum, quod nemo inauditus damnetur, hinc quae testes inscio reo primum deponunt, eo spectant, ut judicium incipere possit per *inquisitionem* nec possunt propterea firmitatem contra reum ipsum habere. Haec tamen monenda manent scilicet quod 1.° in curiis ecclesiasticis libello renunciationis repetitioni testium adnecti solet clausula *salvo jure repetendi*, qua si velit, non prohibetur repetere, ut hi denuo examinentur expensis tamen suis: legitimo enim tempore, Fisci, vel privati accusatoris sumptibus esset fa-

stes seu *recolligendi*, qui in inquisitionibus praeviis auditi sunt rursusque examinandi, et quidem ex integro tamquam si alias testimonium non dixissent, neque ad priores referre se possunt depositiones, qui jurant de dicenda veritate, coram ipso reo, advocato, aut alio ab eo substituto ad videndum jurare, ac repeti eosdem testes, cui interim usu fori ecclesiastici licet petere suae inquisitionis capita, ut inde interrogatoria conficere possit, ad quae intra statutos dies examinentur, antequam suas instaurent depositiones; alias actus nullitatem contestando denuntiat. Testibus jus est petendi, ut legatur sibimet depositio, quam prius dederunt. At ubi secunda contraria sit priori depositioni, vel ex duobus testimoniis unus excusat, alter accusat, vel si testes delinquentem viderunt, delinquentis praenomen, ac nomen ignorarunt, renovatio depositionum etiam in praesentia ipsius inquisiti a testibus praestanda est, quae vocari solet *Confrontatio*.

His positis intra terminum supradictum a judice impertitum ad se defendendum, et Fiscali, vel privato accusatori, ut probationes *impinguet*, ut ajunt, scilicet ut probationes augeat, si possit, et hinc alios testes producat, quos judex advocet, et simul reum ad videndum eos jurare citet, atque ut hic pariter articulos suae defensionis, testesque examinandos producat, qui citantur; eorumque tamen juramento intererit Fiscalis, et pars conquesta, quae locum privati accusatoris tenet, cui jus est postulandi articulos de-

cienda, 2.° in causa criminis *flagrantis* seu *secreti*, aut *notorii*, seu palam admissi non requiritur repetitio testium. Capto enim reo, coram ipso, testes, qui interfuerunt, dato prius juramento, interrogantur, et ex responsionibus tum rei ipsius, tum testium acta rediguntur.

fensionis ad concipiendas interrogationes; quibus examinandi cogantur respondere.

Demum acta ad umbilicum adducta decreto judicis publicantur sicque utrique parti inspicienda dantur: inde non quidem Fisco, sed reo tantum usque ad sententiam definitivam defensiones non denegantur, quamvis ultro crimen confessus sit (1), qui adhuc potest excipere confessionem suam tamquam erroneam, mendacem, absurdam, aut necessitate adactam, si nullo modo criminis confessionem impugnare quiverit, vel sine dolo illud perpatratum, quae tamen pro virili adstruenda ei manent.

Quod si post auditas defensiones rei, adhuc gravia indicia urgeant, quia constat non posse aliquem damnari *nisi indiciis ad probationem indubitatis, et luce clarioribus* (2), aut nisi plenae sint probationes, hinc disputatur inter DD. num ex indiciis tantum etiam indubitatis possit reus damnari. Horum alii negant, alii in his casibus extraordinarias poenas esse infligendas, alii contra docent ordinaria poena plectendos reos indiciis et argumentis convictos, quae sententia legibus confirmatur (3). Quod vero spectat forum ecclesiasticum, non desunt, qui tenent ex congestis, et indubitatis argumentis recte censuras etiam infligi, et nihil amplius, praesertim cum *quaestiones* sive tormenta mitissimo Ecclesiae ingenio abhorrentes merito in usu non sint, sicut nec purgatio canonica observari adhuc videtur in ea.

---

(1) *L. unius 18. ff. de quaestionib.*
(2) *L. sciant 25. cap. de probat.*
(3) *L. ult. c. de probat. et l. 24. cap. ad 1. Jul. de adulteriis.*

MONITUM.

De tortura reorum, et de canonica, et vulgari purgatione.

Contra reum in manibus judicis constitutum inquisitio fit ordinarie solum per interrogationes et *mansueta* dicebatur; erat tamen et illa, quam vocabant *severam*, quae *quaestio*, in praxi *tortura* vocabatur, quando nempe torturae vel quaestioni reus addicebatur, ut vi tormentorum crimen confiteri adigeretur. Illae tamen adhiberi non poterant, nisi tale fuissent delictum ut mereretur poenam relegatione graviorem ex constitutione Caroli II Andegavensis (1), et nisi adessent indicia valde urgentia, vel saltem semiplena probatio delicti contra reum, qua de re antequam tortura decerneretur, reo indicia patefacienda, et facultas reclamandi erat concedenda (2); atque nisi hic per alias probationes plene convinci nequiret. Cavendum quoque erat, ne reus esset persona torqueri prohibita, uti senes, furiosi, valetudinarii, mulieres praegnantes; item illustres viri, dummodo de delicto laese majestatis vel divinae vel humanae non inquireretur, in quo solum aequa conditio est omnibus (3). Universae fere Europae gentes, Romano juri colla submittentes cum legibus romanis, quibus quaestiones vim suam habuerunt, quaestionum quoque judicia admiserunt. Quod vero ad Ecclesiam pertinet, usus earum in veteri disciplina haud viguisse videtur, quae inde inolescere coeperunt, aut magis confirmari forsan ex falsa De-

(1) *Cap. si juste quis Tit. quod recipiatur sententia.*
(2) *Cap. tormenta Rubr. de tormentis.*
(3) *L. 4. c. ad l. Jul. Majest.*

cretalis Alexand. III interpretatione (1). Quare in foro Ecclesiae recepta fuere tormenta, sed leviora. Verum in desuetudinem jam abjisse omnibus patet. Contra usum vero istum quam male ac perperam Philosophorum aliqui praesertim Beccaria, Voltaire, Montesquiu invecti sint, facile erit colligere, si quis velit animadvertere quod 1.° illum qui ante sententiam torturae addicebatur, si non reum absolute, nec absolute innocentem esse constabat ex manifestis indiciis, quibus ille esse reus potius censebatur; si ergo non ut reus poena crimini adcommodata plectendus erat, nec tamquam innocens dimittendus erat, 2.° si seipsum accusare jura non probant, factam tamen accusationem sua confessione nec prohibent. Excessum poenarum quidem, et abusum quaestionis confitemur, non moderatum usum a legibus ipsis improbandum. Nonne jus ipsum, quod quaestiones introduxit, voluit, ut sequenti die a cruciatu confessionem iterum confirmaret reus? nonne sic constabat liberam, non coactam illam fuisse? excipiebatne semper unum alterum tormentum? Hoc solum erat, ubi reus, contra quem aut nova, aut urgentissima essent indicia, confessionem in cruciatu emissam, postridie fraudolenter retractaret. Haud certo inhumanus erat ille usus, si in eos exercebatur paucis, contra quos indicia urgebant, ut societatis tranquillitati consuleretur. Quinam, quaeso, dispotismus in illo usu Reipublicae, cujus interest pacem civium tueri, delicta vindicare? Denique S. Aug. ipse, quem adpellat Voltaire, ut immunitatem quaestionum exaggeret, si attentius perlegatur caput 6. lib. 19. Civitatis Dei, usum illarum utpote societati neces-

(1) *C. gravis l. ex de depos.*

sarium probasse potius, quam damnasse videbitur.

Purgatio canonica, (cujus titulus XXXIV Decretalium est a canonibus recepta (1), quaeque tamen etiam ubique fere desuevit, praesertim cum in causis criminalibus jusjurandum amplius non emittitur,) definitur probatio innocentiae de objecto crimine, vel de absentia alterius gravis defectus per juramentum a competente judice imperatum, et a probabiliter et notabiliter gravato praestitum, modo per Ss. canones praescripto, si aliter nequit constare crimen, et innocentia; et tamen fama sit illi omnino necessaria ad suum statum, officium, et beneficium. Ut vero intelligi facile possit definitio allata, scire opus est plures fuisse modos se purgandi a Ss. canonibus receptos, velut per juramentum ad sepulchra Sanctorum, publicam sumptionem Eucharistiae, adjecta quandoque imprecatione repentini interitus, si objectum crimen esset commissum etc. Inde tamen postquam fidelium sincera in Deum, et Sanctos fiducia deficere, vel in supertitionem degenerare coepit, haec exoleverunt, et remansit hic unicus modus juramenti, quo purgandus tactis Evangeliis, etsi sit Episcopus, jurare debet, nec per se, nec per alium suo nomine commissum esse crimen vel excessum sibi objectum; quod juramentum dicitur *veritatis*. Sed hoc frequenter olim conformabatur adjunctione plurium *compurgantium* scilicet qui jurabant se credere reum esse a crimine immunem, ac proinde verum fuisse juramentum ab eo praestitum. Et hoc dicebatur juramentum *credulitatis*.

Numerus compurgantium varius erat pro delicti, et personarum qualitate, pro arbitrio judicis, aut rei, unde frequenter in antiquis legibus dicitur *manu quin-*

(1) *Cap. 2. qu. 5.*

ta, *sexta*, *septima*, *vel duodecima se purgare*, id est quinque, sex, septem, vel duodecim adhibitis juratis testibus: *manu* quia vel manu porrecta juramentum solebat praestari, vel tactis Evangeliis testes, ut dictum est, jurare juberentur.

Purgatio vulgaris, quia a vulgo inventa, est probatio criminis, aut innocentiae ex observatione vulgi superstitiosa, et moribus introducta per se a sacris canonibus graviter prohibita (1) cujus praesertim sunt purgatio per *monomachiam* seu duellum, purgatio per judicium ferri candentis, vel aquae ferventis vel frigidae ea opinione, ut qui illaesus maneret, pro innocente haberetur: haec et alia similia, in quibus expectatur miraculosa divinae virtutis manifestatio, medio aevo introducta, atque ad saeculum XII usque adhibita, a non paucis improbata, tandem a R. Pontificibus Alexandro III, Honorio III, et Innocentio III omnino abrogata, et merito interdicta sunt, tum quia sic Deus tentatur miraculum sine necessitate petendo; tum quia per illa innocens saepe puniebatur. Quod si aut ex ignorantia invincibili, aut ex speciali Dei instinctu, vel religione ductus ab illo petiit miraculum aliquis bona fide, et spe vir, uti fuerunt sancti aliqui viri, et foeminae, quorum historia ecclesiastica memoriam facit, aut denique quis id fecit constitutus in ejusmodi circumstantiis, in quibus certo nequibat aliter evitare gravissimum malum ex. gr. mortem, omnes hi casus non sunt in consequentiam trahendi, cum rationes, ob quas purgatio vulgaris vetita fuit, contra hos facere non videantur.

Num vero provocatio ad divinum tribunal licita sit,

---

(1) *Cap. 7. et 22. cap. 2. qu. 4. cap. 3. de purgat. vulgari cap. X. de excessib. Praelatorum et alibi.*

facile erit videre: si enim fiat ab innocente, absque vindictae cupiditate, desperatione, vanitate vel inordinata passione, quamvis sit plena periculi nec facile adhibenda, sine peccato illam esse nemo non videt. Hinc si quis per notoriam injustitiam oppressus provocet bono fine, ut appareat provocantis innocentia, aut ut iniquus judex de justitia judicii terrore perculsus desinat ab iniqua oppressione, licite provocare videtur, et eo vel magis quod judici justo, qui rectam feret sententiam, nihil timendum manet. Cur enim timeat mens conscia recti? nec nisi praemium ob id expectat a Deo.

Hoc tamen observandum, quod sententia lata ex purgatione vulgari, a qua nec appellatum esset, posset retractari (1).

LIBRI PRIMI FINIS.

(1) *C. 8. de purgat. can. 2. quum nulla et invalida.*

LIBER ALTER.

DE CRIMINIBUS, ET POENIS.

In crimina animadvertendi jus habet, cui summum est imperium reipublicae, ne hujus status labefactari possit. Stultorum, ait Ecclesiasticus (1), infinitus est numerus, qui non tam virtutis amore, quam formidine poenae in officio continendi sunt suo. At ecquis poenam efficaciter minabitur? quis juste irroget eam, ut timeatur ipsa, nisi summus Imperans? Si laedens a laeso punitur, non poena, sed vindicta erit. Si a tertio, nec poena, sed alia laesio, et injuria censetur. Jure ergo suo utitur Ecclesia ad instar reipublicae a republica distinctae instituta (2) tum sontes legibus non obtemperantes suis puniendo, tum criminibus obnoxios, quibus status suus pervertitur. Et cum ipsa sit coetus fidelium animabus corporibusque constantium, quibus simul religionem exercet et praesefert, spirituales non tantum poenas infligat, oportet, sed et corporales irroget, ut ex carnis etiam

(1) *Cap. 1. v. 5.*
(2) *Videsis t. 1. c. 4. et 5. jam alibi etiam cit.*

afflictione, ut ait S. Gregorius M. *spiritus salvus fiat.* Non eadem tamen ratione in Clericos, ac in laicos animadvertit; laicos enim plectit tantum in quibusdam criminibus, quorum judicium ad ipsam spectat, Quidni? naturae forsan ejus punire non convenit? Imo eo ipso beneficam se monstrat, dum damnum religioni illatum sic reparat reus, fidelis incolumis servatur, ceteri a criminibus deterrentur. Revera in crimina animadvertit Ecclesia non venia Principum, qui eam persequebantur a primordiis suis, sed auctoritate, qua pollet, cum per S. Petrum Ananiam et Saphiram gravi et corporali poena mulctavit; et per S. Paulum Elimeum Magum atque Blasphemum similiter punivit. Publicae poenitentiae primorum saeculorum, testantibus Tertulliano (1), et S. Iraeneo (2) prae aliis, idem comprobant, ut taceam de solemnibus stationibus poenitentium in ipsa Ecclesia memoriae hominum commendandis, quae si in desuetudinem abierunt, non destitit tamen Ecclesia, etsi aliter, poenis etiam corporalibus delinquentes, et criminosos plectere suos. Igitur crimina et poenae, quae ea sequuntur, alterius hujus libri argumentum praebent; quod data fide nos liberat; eo enim materiam judiciorum criminalium interpretaturi (postquam de materia civilium, cum de rebus sacris egimus, jam dictum sit) totum tractatum de judicis absolvemus.

Criminum agmen totum, quod virtute clavium Ecclesia in foro interno exercet, profligatque ab animabus fidelium, non est nostrum exponere, sed quae ad externum forum illius, quaeque Ecclesiastica ex regu-

---

(1) *Apolog. c. 39. et lib. de pudicit. c. 5.*
(2) *L. 1. et 13. contra haeres.*

lis novae disciplinae appellantur, et fidem ac religionem directe laedunt, eorumque natura ex canonibus determinatur. Horum praecipua interpretabimur, nimirum apostasiam, schisma, haeresim, et simoniam, sit itaque (a)

(a) Crimina jurisconsulti a delictis, quae noxas et maleficia minora dicebant, consueverunt distinguere; utrumque tamen vocabulum haud semel eadem notione acceperunt. Ipse D. Thomas discrimen illud probavit dicens lect. 2. com. epist. ad Timoth. *Peccatum dicitur quodcumque sive magnum, sive parvum, sive occultum. Crimen autem magnum, et infame.* Verum quidquid sit de nominum diversitate, pro explorato est 1.° delictum quodvis esse actionem, vel omissionem contra legem quamvis humanam, qua neglecta, etiam divina negligitur, cum Apostolus ad Hebraeos c. 13. et ad Rom. c. 17. num. 2. superiorum praecepta ab omnibus servanda jubeat. Ex criminibus pro malitiae suae diversitate ad forum ecclesiasticum internum alia, alia etiam ad externum pertinent. Unde recepta est illa tripartita criminum distinctio, *profanorum* scilicet, *ecclesiasticorum*, *et mixtorum*. *Profana* sive *civilia* quae *communia* etiam vocantur, laedunt rempublicam civilem, nec spirituale quidquam habent praeter absolutionem in foro interno ab Ecclesia obtinendam, uti homicidium, furtum, rapina etc. quorumque poena ipsum ad forum civile pertinet; *Ecclesiastica* religionem, et fidem directe offendunt, uti dictum est, eaque sive a laicis, sive a clericis commissa Ecclesiae foro etiam externo subjiciuntur ex. gr. profanatio Sacramentorum, haeresis etc. *Mixta* denique sunt, quae religionem simul, et rempublicam afficiunt, uti sacrilegium, adulterium, perjurium, blasphemia non haereticalis, usura, clausura monialium etc. Horum utrumque forum cognitionem habet.

CAPUT PRIMUM.

DE APOSTASIA.

CONCLUSIO UNICA

Apostasiae species et modi enucleantur: communicatio cum apostatis vetita adnotatur: poenae, quibus plectuntur, numerantur.

Apostasia graecum nomen latine desertionem denotans absolute ea est, per quam aliquis discedit a fide (1): late vera sumpta est etiam ab ordine, vel a religione. A fide apostasia sacrilegum nomen, et atrocissimum crimen ipsis Impp. (2), atque haeresi longe gravius, qua non omnes, sed unus, aut pauci fidei articuli negantur, dicta proin *perfidiae* apostasia. Qua vel ad infidelitatem fit accessus, statum scilicet eorum, qui omnino rejiciunt revelationem in genere, uti pagani; vel ad Judaismum, qui non admittit, nisi Moseam, quamvis ut apostasia admittatur, sufficit christianam reliquisse religionem, nec requiritur ad aliam transitus; unde ad atheismum commigrantes, apostatae dicuntur. Ad haereticos vero qui declinant, si *apostatae* appellantur, id stricte non est accipiendum, nisi ex adjunctis determinetur (a).

(a) In primitiva Ecclesia apostatae duplicis erant generis: alii qui sponte, alii qui metu persecutionum retro abierant, vel ad ethnicos, vel ad judaeos. Sponte ad primos revertentes ut plurimum Deorum imagines venerabantur, et Christo maledicebant: ad judaeos transeuntes vel eorum religionem amplectebantur,

(1) *D. Thom. 2. 2. quaest. 12. art. 1.*

(2) *In l. Apostatarum 4. cod. de apostat.*

Verum nec tantum ex desertione explicita a fide, sed ex iis omnibus, ex quibus aliquis existimari videtur ad cultum eorum transisse, apostatare censetur. Hinc ne Christiani fidem dissimularent, et Mahumetismi ritum sequi viderentur, Moschaeas frequentando, jejunia profanando, matrimonia coram *Cadi* more Turcico celebrando etc. praecepit Bened. XIV (1) ne haec et alia agant, adeo ut Turcae credantur; secus in vita, et in morte Sacramenta iis denegentur. Item cavit, ne Christiani Turcico se nomine compellari paterentur, quo commodum liberi commercii haberent, multaque incommoda, ac pensitationem certi cujusque tributi evaderent, utpote signum semper suae apostasiae, vel infidelitatis (2) (a).

---

vel cum christiana commiscebant, vel tantum ritibus adhaerebant et consuetudinibus judaeorum. Metu coacti a christiana religione desciscentes dicti proprie *lapsi*, aut erant *thurificati*, qui idolis thus adolerent; aut *sacrificati*, qui carnes Deorum simulacris immolatas manducarent, quod erat signum idolotriae. Horum omnium majus aut minus crimen censebatur ex adjunctis nimirum si sponte vel coacte, utrum laetiore habitu, et vestimentis pretiosioribus, an flentes, et lucubri veste, soli, an cum liberis sacrificassent, ut Concil. Ancyranum c. 4. ann. 314. advertit. Erant demum et *libellatici*, qui sibi libellos ab ethnicis magistratibus comparabant, ut a praestando Diis cultu liberarentur. Horum alii in acceptis libellis se christianos negabant, Diis sacrificare pollicentes, quotiescunque magistratus juberet: alii securitatem libello accipiebant: utpote qui imperata a magistratus fecissent per alium infidelem virum, vel servum: alii pecunia sibi judicem demulcebant securitatis libellum consecuti, et Christum coram confitebantur.

(a) De apostatis, qui jam ad Mahumetanam sectam desciscivérunt, atque inde ad fidem revertuntur, S. Cong. apud Benedict. XIV de Synod. Dioec. l. XIII c. 20. n. 8. respondens quaesito

(1) *Const. inter omnipotens ann. 1744.*

(2) *Epistola Encyclica quod provinciale Concilium ann. 1754.*

Quod communicationem cum infidelibus denique spectat, haec tenenda fidelibus sunt 1.° in actibus falsae religionis esse omnino illicitam; 2.° in iis quae sunt verae religionis, non esse licitum eis Sacramenta administrare (a). Verum juxta De Lugo (1) vetitum non dicitur ipsis communicare quaedam sacramentalia ex. gr. panem, et aquam benedictam etc. aut eos ad orandum admittere ritu catholico. De sacrificio missae tamen haec canones habent (2) : *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, et audire verbum Dei, sive gentilem, sive haereticum, sive judaeum usque ad missam cathecumenorum.* At ipse Lugo subdit quia communiter fructus speratur, non solent ministri Ecclesiae expellere infideles, quando turmis fidelium se intermiscent, ut sacra videant; 3.° in civilibus ex D. Thomae doctrina intelligitur communicationem cum infidelibus ex duplici causa ab Ecclesia posse prohiberi (3), in poenam nempe spiritualem, et pericu-

---

ad rem sibi oblato ait « S. Congregatio inquisitionum censuit a» postatas a fide ad poenitentiam redeuntes omnino debere abju» rare apostasiam coram fidelibus captivis, quibus dederunt scan» dalum, in propriis carceribus, publice et explicite. At coram » infidelibus non videtur hoc necessarium, sed sufficit ut coram » ipsis abstineant ab actibus infidelitatis, deponantque habitum » protestativum falsae religionis, si vero sit aequivocus, posse » illum deferre. Quod si ex illa delatione ratione personae aliqua » oriatur suspicio, teneri apostatam aufugere, cum primum po» terit ».

(a) Confer, quae ad rem dicta sunt de sacramentis, et praesertim de impedimento disparitatis cultus dirimente matrimonium.

(1) *De fide disput. 22. n. 106.*

(2) *C. Episcopus 67. de consec. dist. 1. ex Concil. Carth.*

(3) *C. judaei 5. de judaeis ex Concil. Lateran. III. cap. omnes 14. c. 23. q. 1.*

lum subversionis (a). Quae speciatim vero vetita sint apud DD. et praesertim Lugonem (1) est videre, qui sacros canones ad rem interpretantur. Pro nostri instituti ratione tantum juvat monere prohibitum non esse quod Christiani utantur servis judaeis, aut paganis apud se commorantibus (2), et e contra quod Christiani judaeis, aliisve infidelibus inserviant more operariorum, qui in domibus suis habitantes locant aliis opera sua (3). Apostatae, si praesertim idolatriae rei essent, ante S. Cypriani aetatem non solum Ecclesia ejcii, sed usque ad finem vitae reconciliatione donari non solebant (4). Tum ab hac severitate descivit Ecclesia, et poenitentia ductis in hora mortis absolutionem dedit (b).

Supparem distinguunt canones apostasiam late sumptam *ab ordine et a religione*, criminosam nimirum

---

(a) Hinc Princeps prohibere potest, ne qui in territorio habitet, qui non profitetur religionem territorii. Quod si infideles, et haeretici in territoriis suis leges contra veram religionem ferant, istae leges, ut advertit Fleury Inst. Jur. Eccl. p. 3. cap. 8. n. 4. neminem bonum absterruere unquam, quominus illic habitet; animarumque saluti invigilet sciens Deo magis obediendum, quam hominibus act. 19. Et re quidem vera in hujusmodi angustiis religio vera christiana nata est, in his crevit, in his adolevit.

(b) Rigor istius disciplinae temperatus fuit, sive ut occurreretur Montanistis, et Novatianis denegantibus Ecclesiae facultatem reconciliandi peccatores, sive ut precibus *lapsorum* in persecutione Decii indulgeretur, pro quibus confessores, idest qui publico aliquo cruciatu, carcere, aut poena adfecti non tamen morte, fidem confessi fuerant, mediatores apud Episcopos existebant.

(1) *Disput. 19. et seqq. de fide.*
(2) *Cap. etsi 13. de Judaeis.*
(3) *C. Multorum 2. eod.*
(4) *Tertullian. de pudic. c. 5. et Concil. Illiber. c. 1.*

desertionem ab uno, aut ab altera cum animo non amplius redeundi nec ad clericalem disciplinam, nec ad regulare institutum (a). Hinc religiosi professi, qui habitum, et vitam religiosam deserunt, aut clerici sacris initiati, qui ad vota saecularia, et vitam laicalem transiliunt, apostatae appellantur (1)(b).

Verum quia in Ecclesia salva manet jurisdictio in eos, cujus filii utut rebelles non esse desinant sacro lavacro tincti, quod imprimit characterem, ipsa apostatas recte plectit poenis suis, et primo qui a fide desertionem fecerunt, illis iisdem, quibus haereticos, punit, cum omnis apostata sit haereticus, et non e contra haereticus sit apostata (c). In apostatas a religione, dimisso habitu,

(a) *Criminosam* diximus *desertionem* ad denotandum quod debeat esse temeraria, et independens: *cum animo non amplius redeundi*, quia animus deliberatus sit, oportet, nunquam redeundi nec etiam ad institutum derelictum, nec ad aliud quodcumque; aliter non apostatae essent, sed fugitivi. Attamen in praxi communiter accipiuntur ut apostatae, qui extra clausuram sine superiorum licentia, habitu etiam retento et cum animo redeundi ad religionem vagantur, ut ex decr. de Apost. a S. Congr. Concil. jussu Urbani VIII 21 septemb. 1624 edito colligitur, et ex Clem. X const. *Pastoris Æterni vices* ann. 1675 eruitur. Quae hoc argumentum spectant, videre est apud Lucium Ferraris verbo *Apostasia.*

(b) Prioribus ferme decem saeculis nunquam licebat a clericacatu discedere, et nuptiae potius quam Ecclesiastica professionis desertio minoribus ordinibus insignitis permittebatur, Thomass. de V. et N. E. D. p. 11. lib. 1. c. 11. et seqq. Porro sive quod clericorum numerus nimis adauctus fuerit, sive quod ecclesiasticos reditus majoribus tantum ministris attribuerentur, paullatim obtinuit, ut inferiores clerici, abjecta veste, ac tonsura impune ad saeculum transirent.

(c) Ipsi Impp. in apostatas animadversi sunt legibus suis. Constantinus primus voluit, ut si qui christianus ad eorum (Judaeorum) nefariam sectam accessisset, et conciliabulis eorum se adpli-

(1) *Cap. 1. et ult. ex de apost.*

statuit excommunicationem nemini reservatam (1), qui si in apostasia recipiant ordines sacros, incidunt in suspensionem ab eis Papae reservatam (2), et durante apostasia privati sunt privilegiis suae religionis (3) (a). Ab ordine tandem Apostatas punit infamia, cui ipso jure subjiciuntur (4) et si moniti non resipiscant, amittunt privilegium clericale, et sunt deponendi (5). Nec receptatores eorum immunes a poenis suis facit Ecclesia; nam recipientes apostatas a fide incidunt in excommunicationem Papae reservatam, et alias poenas, sicut recipientes haereticos. Quod si recipiunt apostatas a religione, eadem poena mulctantur (6).

---

cuisset, cum ipsis meritas poenas sustineret Cod. Theod. l. 16. t. 8. l. c. *de Judaeis*. Valentinianus, Gratianus, Honorius Occidentis Impp. Orientis vero Theod. et Arcad. multa etiam in apostatas, et receptatores eorum statuerunt, ut videre est cit. lib. 16. tit. 7. *de apostat.* et ibid. in l. 4. et alibi.

(a) Praeter has poenas ex institutis distinctis regularium alias alii imposuerunt apostatis suis, ut privatio vocis activae, et passivae, carceris etc.

At ex decret. Greg. IX *Ne religiosi* 24. *de regularib.* Abbates, et Priores proprios tenentur apostatas, et fugitivos annuatim requirere, et admittere, ac per censuram ecclesiasticam compelli possunt ad receptionem ipsorum. Quod intelligendum est, etsi *juste definiteque ac juris ordine servato expulsi fuerunt*, uti ex Urb. VIII decr. ann. 1624. Confer Bened. XIV de Synod. Dioec. lib. 13. cap. 11.

(1) *Cap. ut periculosa 2. Ne clerici vel Monach. in 6.*
(2) *Cap. consultationi de apost.*
(3) *Trid. sess. XXV. de regular. cap. 19.*
(4) *Cap. tuae frater. 3. de apost.*
(5) *Cap. praeterea eod. et alibi.*
(6) *Ex bulla Pauli V. Postquam.*

CAPUT II.

DE SCHISMATE.

CONCLUSIO UNICA

Schismatis natura, et speciebus excussis, schimaticos extra Ecclesiam esse demonstratur, quibusque poenis ab ea puniantur, declaratur.

Schisma a graeco verbo schizin, latine *scindere*, denotat quamlibet animorum scissuram seu discessionem sive in fide, sive in disciplina, proprie vero significat spontaneam et voluntariam separationem ab Ecclesiae unitate, non sine contemptu auctoritatis Ecclesiae. Schisma, ait D. Thom. (1), *speciale peccatum est, quod intendat se separare ab unitate, quam charitas facit.... Schismatici ergo dicuntur, qui propria sponte, et intentione se ab unitate Ecclesiae separant, quae est unitas principalis* (a).

Hinc schisma convenit cum haeresi in eo, quod violat unitatem, ac communionem Ecclesiae, origine vero ac natura sua discrepat: nam *haeretici*, ait S. August. (2), *de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant.... Schismatici autem discessionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea*

(a) Ecclesia est corpus mysticum sub Christo capite *invisibili*, ejusque in terris Vicario *visibili* ex diversis fidelibus tamquam inter se membris compactum, et connexum. *Sicut enim*, ait Apostolus ad Rom. 12. 4. *in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra, non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.*

(1) *2. 2. q. 39. art.* (2) *L. de fide et symb. c. 5.*

credant, quae credimus (a): D. Thom. subdit: *At haeresis per se opponitur fidei, schisma per se opponitur unitati ecclesiasticae charitatis. Et ideo sicut fides, et charitas sunt diversae virtutes... ita schisma, et haeresis sunt diversa vitia.* Negandum tamen recte non censetur cum Patribus, quod inveteratum schisma in haeresim desinat: etenim schismatici violatae charitati per secessionem addunt pertinacem contumaciam adversus decreta Ecclesiae, ejusque auctoritatem contemnunt, simulque sacras scripturas, quae illam commendant (b). Novatiani supra notati non solum, sed et Quartodecimani post sententiam Conciliorum Nicaeni, et Ephesini nonne recensiti fuerunt inter haereticos, licet ob solam disciplinae quaestionem ab Ecclesia desciverint? Addesis quod schisma non videtur posse haeresi carere:

(a) S. Basilius epist. ad Amphilochium c. 1. Novatianos schismaticis adscribit, qui de disciplina tantum ecclesiastica contendebant, an scilicet lapsi ad poenitentiae beneficium admittendi essent.

(b) Schisma aliud est purum, aliud mixtum seu cum haeresi conjunctum. Primum est malitiosus recessus a vera Ecclesia quoad obedientiam solum; et est cum quis omnes fidei articulos, ac etiam supremam Pontificis potestatem et primatum in Ecclesia credens, ex mera malitia recusat subesse et obedire Summo Pontifici formaliter sumpto, quatenus scilicet est Caput, et Christi in terris Vicarius, atque Ecclesiae universali, vel caeteris dictae universalis Ecclesiae membris uniri, aut unitus et conjunctus esse detractat. Sic schisma fit, cum aliquis Principatus, aut aliquod regnum negans obedientiam Summo Pontifici tamquam capiti Ecclesiae universalis, constituit sibi proprium Patriarcham, Episcopum, eique in spiritualibus obedit spretis seu neglectis, et non attentis Papae mandatis, licet de cetero papatum, et articulos fidei credat. Hujusmodi principatus et incolae regni, et principes sunt puri, et proprie dicti schismatici.

Nullum schisma, ait S. Hieronymus, *non aliquam sibi conficit haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.* Nonne qui schisma universale committunt, et unitatem abrumpunt, negant articulum fidei nempe Papam esse supremum caput Ecclesiae (1) (a)?

Revera membrum in naturali corpore, quod nullam habet cum capite communionem, aridum illud sit, vitaque careat, oportet: *Beatitudine tua idest Cathedrae Petri*, dixit S. Hieronymus (2) de hypostasibus, *communione consocior... quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est.* Schismaticus igitur verus est, qui se separat ab unitate Ecclesiae catholicae universalis (b), qui cum aliis pastoribus particularibus Ecclesiarum ejusdem unitatis non communicat, vel societates novas cum novis ministris instituit, ut fuerunt nostri Reformatores (c).

Quod vero nullatenus in Ecclesia sint schismatici, facili negotio probari potest. Ecclesia enim est una

---

(a) Distinguatur, oportet, schisma *particulare*, quo unitas abrumpitur cum particulari aliqua Ecclesia, ab eo quo cum universali Ecclesia unitas scinditur, et dicitur *universale*.

(b) Quod fit etiam vel ejus auctoritatem contemnendo in aliquo universalis disciplinae capite, vel ab ejus capite, quod est centrum unitatis, et communionis, recedendo.

(c) S. Cyprianus epist. 52. probat praedictum Novatianum schismaticum etiam ob id, quod se separarit a suis Episcopis, et a Sacerdotum collegio. S. Ambros. orat. de obitu Satyri fratris inquit « percontatus ex eo sum, utrumnam cum Episcopis catholicis h. e. com Rom. Ecclesia conveniret ». Hoc refertur in cap. *advocavit* 23. c. 24. q. 1.

(1) *Confer Gonsalez in c. 1. de schismat.*

(2) *Epist. 13. ad Damasum. P.*

domus, unum ovile, unum Christi corpus; scindi illa potest, ut S. Cyprianus scite docet, sed non ut vestis potest scindi, ita ut omnes partes ejus aeque maneant partes vestis: Ecclesia enim significatur per vestem Christi inconsutilem, quae scissa non fuit, sed quomodo scinditur ramus ab arbore, qui statim moritur arbore vivente, et rivus a fonte, qui mox arescit fonte fluente. Huc accidit quod si pars ab Ecclesia scissa esset pariter Ecclesia, plures essent Ecclesiae.

De ratione Ecclesiae est, subdit Bellarminus (1), *ut sit una unione membrorum inter se, et cum suo capite; hanc autem unionem schismaticus tollit, dum se a communione capitis, et aliorum membrorum separat.* Ergo schismaticus non est in Ecclesia, non in corpore ejus, quod scindit, et a quo recedit, non in anima, siquidem violat pacem, et charitatem, qua stringitur una. PP. testimonia plurima, quae ex Theologiae DD. facile erit colligere, hanc constantem demonstrant, et perpetuam fuisse traditionem Ecclesiae, quae proin in die Parasceves pro schismaticis orat, ut eos Deus ad Ecclesiam reducat (a). Hinc S.

(a) Non est cur Calvinista Jurius *le vrai sistême de l'Eclise* ad schismata, et divisiones, quae in Roman. Ecclesia praesertim saec. XIV extiterunt, nos provocet, contendatque a corpore ejus, ac spe salutis exclusas non esse ex sententia catholicorum. Constat enim quod scissiones illae fuerunt alicujus particularis Ecclesiae ab aliqua particulari, non ab omnibus, ac proinde licet illa ab una vel altera esset separata, cum aliis tamen communicabat. In comperto est aliquando Pontifices communionem suam uni aut alteri denegasse. Sed verum est eorum judicium non prolatum, quatenus erant caput Ecclesiae, vel totius corporis ejusdem in Synodos Oecumenicas coactae. Ita fuit judicium Victoris in Ecclesias Asiae eo quod a Romana traditione in cele-

(1) *L. 5. de Eccl. milit. c. 5.*

Cyprianus demonstrat (1) extra viam salutis esse schismaticos, quam consequi nallatenus possunt: *Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulterae jungitur, a promissis Ecclesiae separatur, nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi.... Si poterit evadere quisquam, qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit* (a).

---

bratione Paschatis abhorrerent; ob id a ceteris Praesulibus praesertim Iraeneo probatum non fuit.

Quod vero spectat separationes, quae inter fautores Urbani VI, et eos, qui Clementi VII adhaerebant, aut excommunicationes, quas sibi invicem infligebant, id nec contra thesim nostram argumentum praestat; tunc enim dubitabatur de valida Pontificum electione, ut proinde liceret fidelibus propriae conscientiae judicium sequi, antequam Concilium generale, cujus se definitioni submittebant, rem determinaret.

(a) Philosophus Marchio d'Argens ad misericordiam Dei adpellat fatua malignitate asserens illi non convenire, ut diversae religionis et sectarum homines, honeste tamen viventes legi naturae, ac conscientiae obtemperantes damnentur. Proh Deus! honesti, et legi naturae, ac conscientiae obtemperantes dici possunt schismatici, qui criminose corpus Christi lacerant! Quod si paganos indicet, quos multi Patres putarunt etiamsi extra Ecclesiam, dummodo honestatem amaverint, salutem sperare potuisse, facile erit reponere: neminem salvari nisi per fidem in Christum ex Petri doctrina Act. 4. 12. et Pauli disciplina ad Rom. 3. 22. Fides tamen cum possit esse implicita, hanc habebant, qui ex gentibus salvati sunt. Scio quod Redemptor meus vivit, dicit Job 19. 25. Vide D. Thom. c. 2. q. 11. art. 7. At de his, qui post Messiae adventum etsi sub diverso coelo, ac secta vivant, cum catholica religio sit late per orbem promulgata, ac motivis credibilitatis probata, dicendum quod ad salutem aeternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum; habere autem caput Christum nemo poterit, nisi in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia. Ita August. lib. *de unit Eccl.* c. 19. n. 49. Nec tamen si qui Pagani honeste vivant, et in Deum credent, salutem sperare ne-

(1) *Lib. de unit. Eccl.*

Qui puri sunt schismatici, incidunt 1.° in excommunicationem Papae reservatam (1), quamvis non desint DD. qui dicunt hanc poenam esse ferendae sententiae, 2.° privantur jurisdictione ecclesiastica, quapropter collationes beneficiorum, alienationes rerum ecclesiasticarum, sententiae censurarum, absolutiones etc. ab istis factae irritae sunt ipso jure (2); 3.° inhabiles sunt ad beneficia, dignitates ecclesiasticas (3) (a); 4.° incurrunt irregularitatem, si sint notorii ex communi sententia; nam ob notorietatem criminis illam contrahunt ob infamiam; 5.° quicumque scienter a schismaticis ordines receperunt, sunt *ipso facto* suspensi (4). Fautores horum schismaticorum incidunt in excommunicationem nemini reservatam ex const. Pauli IV *Cum Apostolatus*.

Schismatici mixti habentes scilicet adjunctam haeresim, quales fere sunt omnes, subjacent poenis omnibus, quibus haeretici, de quibus sit

---

queunt ex quibusdam Patribus, sed hoc sensu; quatenus Deus gratiis singularibus, ut ex Concilii historia in Actibus Apostolorum patet, non desit hominibus etiam extra ordinem, qui naturali lumine ducti Deum colunt et honestatem sequantur, atque sine sua culpa, nec notitiam Incarnationis, nec Evangelii promulgationem acceperunt.

(a) Per sententiam judicis possunt beneficiis acquisitis privari, sed ut ait Delugo, in jure non fundatur quod *ipso facto* priventur beneficiis; etenim purus schismaticus severius non est tractandus, quam haereticus.

(1) *C. Nulli fas 5. dist. 19. et alibi.*
(2) *C. Novatianus 7. c. 7. q. 1. et alibi.*
(3) *C. quia diligentia 5. de Electione.*
(4) *C. Fraternitati 2. de schismaticis.*

CAPUT III.

DE HAERESI.

CONCLUSIO PRIMA

Haeretici, et de haeresi suspecti distinguuntur: poenae in eos latae declarantur: notae seu variae censurae proprositionum fidei nocentium adnotantur.

Atrocissimum ex ecclesiasticis crimen est haeresis, et quidem publicum: etenim in religionem divinam committitur, ideoque in omnium fertur injuriam: continet rebellionem in statu ecclesiastico, discindit pacem et unitatem membrorum Christi, et gravius censetur crimine laesae majestatis, quia aeternam illam majestatem offendit. Definitur: error voluntarius intellectus christiani hominis pertinax in aliquo fidei catholicae articulo (1) (a). Hinc ut quis constituatur haereticus 1.° requiritur error non ex ignorantia, sed ex voluntate procedens deliberato consensu, quia *error voluntarius* esse debet (b). Errare autem dicitur etiam,

---

(a) Haeresis a graeco *haereo* idest arcte conjungor, forsan a primaria sua notione significat electionem, ut notat S. Hieronym. in c. 5. epist. ad Galat. quae quamvis in bonam, et malam partem sumi potest, constanti tamen usu Ecclesiae determinata fuit ad exprimendam erroris electionem.

(b) Qui ex metu, aut malitia thus adoleret idolo, aut Christi corpus conculcaret, nec tamen cessaret idem interius sentire quod antea, immanis quidem peccati reus esset, non autem verus haereticus, unde ex Suarez disput. 14. *de fide*, et ex aliis non incurreret ille in foro interno poenas contra haereticos latas; ta-

(1) *Colligitur ex D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 6.*

qui dubitat, quatenus voluntarie dubitat; sic enim *judicat* Ecclesiam errare posse. Unde *dubius in fide*, ait canon (1), *est infidelis* (a). 2.° Errorem suum pertinaciter, et consulto quis sequatur, oportet, secus errare dicitur, sed haereticus esse negatur: *errare possum, sed haereticus non ero*, dixit Augustinus, *quia scilicet non ero in errore pertinax, sed eo cognito in sinum matris me conjiciam.* Qui *sententiam suam*, ait ipse S. Augustinus (2), *quamvis falsam, aut perversam nulla pertinaci animositate defendunt.... corrigi parati, cum verum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos numerandi* (b); 3.° ut contra ali-

---

metsi poenis haereticorum in foro externo plectatur, in quo haereticus judicatur, qui se ut haereticum gerit. Nec inter haereticos numerandus, qui errat ex ignorantia crassa, aut etiam affectata, modo non sit voluntas contradicendi Ecclesiae, et contemptus culpabilis auctoritatis ejus, quae voluntas ex ignorantia affectata concomitante colligi potest; ea enim quis ita dispositus intelligi potest, ut credere nolit, etiam si cognosceret ea, quae ab Ecclesia proponuntur. Hinc est quod interdum Ecclesia toleravit plures, qui ex *errore facti* tantum obluctabantur decretis etiam Conciliorum Oecumenicorum, quamdiu tamen de eorum legitimitate dubium haberi potuit, ut patet ex iis, quae secuta sunt Concilium Costantin. II ann. 553 Concil. Nicaen. II ann. 787.

(a) Dubium vero habetur sive judicando incertum esse id, quod sibi proponitur; sive suspendendo consensum ob motiva contraria, quibus mens quasi territa consentire formidat; priori casu positive erratur contra infallibilitatem revelationis; posteriori virtualiter asseritur motiva fidei contraria tanti esse ponderis, ut dubium reddant id, quod ab Ecclesia proponitur. Lugo d. 20. sect. 2. *de fide.*

(b) D. Thom. pertinaciam in eo consistere docet, quod quis sciens teneat aliquid contra id quod est ab Ecclesia definitum, sive neget id definitum esse, ut negare solent haeretici; sive de definitione non curet. Hinc haereticos dices 1.° qui ita propriae

(1) *Cap. Dubius 1. de haeret.* (2) *Epist. 43.*

quam veritatem fidei catholicae erret, necesse est (a). Et hoc pacto S. Augustinus excusavit S. Cyprianum dissentientem a Papa Stephano in causa rebaptizationis, quia nondum catholica Ecclesia in ea controversia definierat, quid apostolica haberet traditio, quidque ex traditione illa tenendum, et credendum esset, *quia plenarium de hac re concilium nondum habebat Ecclesia* (1); 4.° ut error sit ejus, qui antea fidem tenebat, scilicet error sit hominis christiani; nam si hic non sit baptismo initiatus, proprie dicitur infidelis; apostata vero erit, qui abjicit christianismum (b). Igitur

---

sententiae adhaerent, ut parati sint eam non abjicere, etiamsi ab Ecclesia damnetur, 2.° qui judiciorum Ecclesiae formam ita ordinant, totque conditiones impossibiles eidem apponunt, ut quandiu volent, negare possint Ecclesiam locutam esse, 3.° qui contra Ecclesiae determinationem sentiunt, parati, inquiunt, a sententia sua recedere, si argumentis convincantur, 4.° qui fidei capita credunt solum ob evidentiam rationum, quam sibi affulgere putant, alias minime credituri; non enim credunt ob rationem formalem fidei.

(a) Veritas catholica dicitur, quae a Deo revelata est, et ut talis per Ecclesiam proponitur. Advertatur tamen, oportet, ad fidem catholicam requiri duo scilicet revelationem directam Dei, et propositionem Ecclesiae universalis; etenim *quod semper*, *quod ubique*, *quod ab omnibus creditum est*, *hoc est proprie catholicum*, post Lirinensem tenent omnes. Unde fides simplex theologica ab illa, quae dicitur catholica, stricte distinguitur, quatenus nempe complectitur omnia revelata; et ut obliget privatum ad assensum, sufficit, ut ei pateat quid a Deo esse revelatum.

Attamen hoc maxime observandum plura esse, quae sufficit *implicite proponi* ab Ecclesia; cujusmodi sunt, quae evidenter, et absque ulla tergiversatione in scriptura, vel traditione continentur, ea quoque, quae semper supponit Ecclesia, ut est ejus infallibilitas circa fidem.

(b) Varia cum sint propositionum damnatarum venena, variae extant censurae, seu notae theologicae nimirum judicium, seu

(1) *Lib. 4. de baptism. cap. 6.*

ut formalis haereticus habeatur, repuiruntur error intellectus contra fidem, pertinacia voluntatis, et fidei professio in subjecto.

---

sententia, qua nota prava, et maligna culdam inuritur doctrinae, tamquam fidei aliquo modo nocivae. Alias igitur notas praeter illam, qua *haeretica* propositio discernitur, non abs re heic summatim est exponere. Qui vero se totum huic argumento dare velit, consulat Theologos, et praesertim Tournely Prael. Theol. Tract. *de loc. theol.* art. 1. de natura notae theol. et seqq.

Igitur dicitur prop. *pressius erronea* prout distinguitur ab *haeretica, quae meris conclusionibus opponitur certo, et indubitanter*; unde non habet nisi mediatam oppositionem fidei, cum haeretica constituitur per formalem immediatam oppositionem cum veritate immediate revelata. Verum ut certo constet propositionem directe adversari alteri mediate revelatae, erui potest 1.° ex judicio Ecclesiae, quo declarat ac fidelibus credendam proponit, 2.° ex communi consensu Theologorum, qui, quantus sit ponderis in rebus fidei, nemo non novit, 3.° ex evidentia cum scilicet lumine naturali clare percipitur aliquam propositionem alteri opponi, quae nectitur cum alia immediate revelata. Prop. *haeresi proxima* dicitur, quam major, et sanior Theologorum pars ex scriptura, aut traditione judicat haereticam, etsi tamen non audeat absolute et simpliciter eam haereticam pronunciare, quod aliqui graves Theologi contendant ipsi censuram hujusmodi inuri non debere. Prop. *sapiens haeresim*, quidquid alii dicant, ex Panormo auctore *Scrutinii* est; quae utriusque sensus catholici, et haeretici proprie capax est; attamen sensum pravum sive ratione sui, sive circumstantiarum loci, temporis, personarum etc. praevalentem involvit ex. gr. *Christus minor est Patre* in libro auctoris Ariani sapit haeresim. Prop. *suspecta de haeresi* ex de Lugo ea est, quae ex sese utriusque sensus, catholici, et heterodoxi capax est, quae sive ratione sui sive ratione circumstantiarum, sufficiens praebet fundamentum, non ad probabile judicium ferendum, quod auctor sit haereticus, sed solum ad suspicionem et timorem aliquem absque temeritate de eo concipiendum. Sicque a praecedenti censura differt, quia timor est probabilis. Prop. *male sonans* ex cit. auctore Scrutinii, quem sequitur Tournely, consistit in eo, quod ita formetur, ut quamvis in bonum sensum exponi queat, nihilominus pravus ipsius sensus, sive ex intrinseca

Quoad poenas jure ecclesiastico communi statutas observandum quod 1.° haeresis interna, quae scilicet mente tantum retinetur, sine ulla externa manifestatione, nec aliquo quidem verbo, poenis non subjacet. « Homo, ait S. Thomas (1), de his potest legem facere

natura, sive ex circumstantiis extrinsecis, sano et catholico praevalens ac praeponderans, pias aures offendat, malumque sensum praeseferat. Hinc ab ea nihil, vel vix differt prop. *piarum aurium offensiva*, quae nota juxta aliquos addit quod profertur aliquid indecens et indignum in materia religionis, quodque non est in omni propositione male sonante ex. gr. *confessiones apud religiosos factae pleraeque vel sacrilegae sunt, vel invalidae*: quae fuit prop. ab Alexand. VIII damnata. Monet tamen Canus l. 12. *de loc. theol.* c. X. *ad discernendas male sonantes et piarum aurium offensivas propositiones non esse habendam rationem vulgi promiscui, imbecilli, perturbati, imprudentis, sed prudentis, sinceri, pii, incorrupti. Nec Theologia modo requirenda est, sed pietas, et prudentia, sine qua nullae aures possint consentaneos sons abhorrentesque discernere.* Prop. *temeraria* est, quae in materiis Theologicis sine sufficienti fundamento vel auctoritatis, vel rationis asseritur; vel aliter ea, est quae communi Ss. Patrum doctrinae adversatur, aut quae constanti Theologorum sententiae contradicit sine gravi rationis, vel auctoritatis fundamento et, ut ait Bossuet, *nove, insolenter, audacter* ex. gr. ex S. Antonino *asserere quod mundus terminetur post centum annos*. Prop. *scandalosa* est, quae dat occasionem ruinae spiritualis inclinando ad peccata, vel avertendo a virtutum exercitio. Prop. *schismatica* est, quae viam scissioni unitatis Ecclesiae aperit, fideles ab obedientia removendo Superioribus debita, et praesertim Rom. Pontifici; differt a prop. *seditiosa*, quod haec movet ad rebellionem, et ex doctrina D. Thom. 2. 2. q. 42. a. 1. definitur a de Lugo *ea, quae ab obedientia Principibus debita retrahit, aut ad tumultus in republica excitandos conducit*. Prop. *impia* est, quae pietatis opera deprimit, ac depretiat, debitum scilicet cultum Deo ut supremo omnium nostrum patri, honorem aufert aut imminuit parentibus, et consanguineis, superioribus et benefactoribus obsequia ac debitum gratum animum. Prop. *captiosa* est, quae sub specie quadam

(1) *L. 2. q. 91. art. 4.*

» de quibus potest judicare »: judicium autem hominis esse non potest de internis; 2.° de haeresi externa poenae numerantur *excommunicatio* Papae reservata latae sententiae (1); *Infamia* juris, modo sit notorius haereticus, et poena denuntiationis (2); *Inhabilitas* ad publica officia, ad testimonium dicendum (3); *Irregularitas* ad ordines suscipiendos; *Privatio sepulturae ecclesiasticae*, si in pertinacia decesserit (4), nec immerito; nam qui ipse se de corpore Ecclesiae abscidit, juste ut abscissus condemnatur, et id juxta regulam: *quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non debemus* (a). 3.° Speciales poenae contra clericos haereticos sunt *Irregularitas* non solum quoad ad ordines suscipiendos, sed et usum susceptorum, quae etiam manet post poenitentiam, et conversionem, cum ea sit regulariter impedimentum perpetuum; *Inhabilitas* ad quodlibet beneficium ecclesiasticum; *Privatio* beneficiorum, offi-

---

veritatis ac pietatis in errorem inducit. Prop. *falsa* dicitur, quae cum aliqua ex damnatis tanquam erroneis, aut haereticis connexionem habet, et inde infertur.

Hae praesertim notae habentur; cum vero inuruntur ex sententia S. Pontificis, et Episcoporum, hujusmodi sententia dicitur *judicialis*; profertur enim ab illis, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei; si vero id fiat ab iis, qui tantum laude doctrinae gaudent, dicitur *doctrinalis*.

(a) Haeretici occulti, qui nempe externant errorem nemine vidente, et audiente, quia coram aliis fidem profitentur, et sacramenta participant, pro membris Ecclesiae habentur, etsi aridis, ac mortuis.

(1) *C. 13. et c. 15. de haeret.*
(2) *C. vergentis 10. extr. eod.*
(3) *Cit. c. vergentis.*
(4) *Cap. 2. eod. in 6.*

ciorum, et dignitatum etiam rite adquisitarum (1)(a). Et quamvis dubitetur ex canonibus subnotatis, num privatio haec sit ipso jure, et sententia tantum declaratoria requiratur, non condemnatoria, aliquibus tamen videtur quod ipso facto incurratur sicut excommunicatio (b). *Privatio jurisdictionis* spiritualis *proin intelligitur*, si clericus haereticus sit nominatim denuntiatus (c).

(a) Hac inhabilitate adstringuntur etiam *credentes*, *receptatores*, *defensores*, *fautores eorum* (de quibus mox) *ipsorumque filii usque ad secundam generationem* ex Alexandr. IV in c. *quicumque* 2. *de haeret*. in 6. seu usque ad secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat ex Bonif. VIII c. *statutum* 15. eod. dummodo parentes haeretici non se emendarint,

(b) Nonnulli concludunt, nec sine ratione, ipso facto, et ante sententiam haereticos non expoliatos esse beneficio, et officio, cum nulla sit lex, quae hunc effectum sufficienter doceat. Vide Suarez de fide disp. 21. sect. 49. Coeterum omnes fere consentiunt debere haereticum usque ad sententiae executionem retinere beneficium ante haeresim rite obtentum, et fructus illius percipere. Vide Lugo *de fid*. disput. 23.

(c) DD. non desunt, qui tenent haereticos, et schismaticos proin ipso facto non esse jurisdictione privatos, et quamvis illicite, non invalide exerceant illam eo quod nullae sint leges, quae hanc invaliditatem statuant. Insuper ajunt, si jurisdictio ipso facto ammitteretur, esset contra constitutionem ad *evitanda*, qua statuitur « ut nemo a communicatione alterius in Sacramentorom administratione vel receptione, aut ab aliis quibuscumque divinis, » vel extra (res divinas) praetextu cujusvis censurae ecclesiasti- » cae teneatur abstinere, nisi *sententia* fuerit denuntiata expres- » se, aut notorie in sententiam constiterit incidisse ». Si igitur haeretici, et schismatici ipso facto jurisdictione privati forent necessarium ipsis esset in multis abstinere a communicatione ante sententiam quod asseri non potest.

Animadvertendnm tamen illud decretum admittere hanc exceptionem « Salvo, si quem pro sacrilega manuum injectione in » clericum in sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit

(1) *Cap. 9. et ex 13. de haeret. cap. 12. in 6. eod. cap. ad abolendam 3. ex. eod.*

Clerici degradati demum traduntur judici saeculari, eorumque bona applicantur Ecelesiis, a quibus stipendia receperunt (a) (1).

Praeter crimen haeresis, datur et illud suspecti de haeresi, cujus rei sunt, qui ex conjecturis et indiciis in fide obstinato animo errare praesumuntur. Suspicio illa vel *levis* erit, vel *vehemens*, vel *violenta*. Ex signis externis operum, aut verborum, ex quibus raro admodum haeresis praesumi potest ex gr. si quis semel haereticorum conventiculis interfuerit, colligitur prima. Secunda ex argumentis saepe concludentibus, quae proin inducunt praesumptionem juris ex. gr. usus carnium die prohibita, et errorum prolatio in rebus fidei. Tertia *violenta* suspicio praesumptionem juris, et de jure producit, cujus exemplum extat apud

---

» incidisse, quod factum nulla possit tergiversatione celari ». Ex eo tamen quod ea concessione non excipit communicationem cum haereticis, orta est laudata quaestio inter Theologos, quae fuit acriter agitata tempore Jansenianae haeresis, ut videre est apud Collet in continuat. praelectionum t. V. *de fide*. Vide et *de censuris* p. II. cap. 1.

(a) Jure etiam imperiali multis subjiciebantur poenis haeretici etiam in temporalibus variis quidem, et gravissimis pro varietate temporum, diversa indole, numero, et factione haereticorum. Re quidem vera tuitio tranquillitatis publicae, quam homines protervi ac turbulenti, pleni item dolo et astutia saepe in periculum adduxerunt, in causa fuit, cur principes in haereticos animadverterent. Nec ratio deest maxima protectionis Religionis, atque Ecclesiae cui famulari honori sibi ducebant, atque omnem impendere potestatem, quam a Deo acceperant. Has legere est tum Cod. Theod. lib. XVI tit. V. *de haeret.*; tum Justinianeo lib. 1. tit. V. eod. Item in constitutionibus Regni, quae Fridericus II praesertim contra haereticos, eorumque receptatores gravissime statuit Demum Cod. municipal. art. 100. p. 2. omnes, qui docendo, praedicando, aut in publico concionando aliquid contra fidem impio fine proferunt, perpetui exilii extra regnum poena plectuntur.

(1) *Cit. cap. 9. et 13.*

Trid. ubi jussit, ut (1). *Excommunicatus quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta, et communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur; sed si obdurato animo, censuris adnexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum de haeresi suspectum procedi possit.* Suspecti ergo de haeresi a proprio Episcopo monebuntur, et coram ipsis purgationem facere tenentur. Qui autem cum possint, non se purgant a crimine, ex Concil. Lateran. IV ann. 1215 poenis subjiciuntur sequentibus: anathematis gladio feriantur, et usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur; ita tamen quod si per annum in excommunicatione perstiterint, jam tum velut haeretici habeantur. Hinc ii generatim suspecti de haeresi habentur, qui per annum insordescunt in excommunicatione, et eo titulo ex canonibus procedi potest in foro externo.

Sunt denique *Credentes* haereticorum, et dicuntur qui haereticorum dogmata generatim laudant et approbant (2), *Receptatores*, qui haereticos fugientes, aut se occultantes recipiunt domum, ne in manus *justitiae* veniant, *Defensores*, qui eorum errores, vel personas adversus legitimum magistratum quoquo modo tuentur, *Fautores*, qui eis sunt auxilio, ut suos errores in actum deducere, exercere, diffundere valeant. Omnes hi subjacent excommunicationi latae sententiae, privantur sepultura ecclesiastica (3), et fiunt irregulares, et inhabiles ad beneficia, et officia ecclesiastica perinde ut haeretici (4).

---

(1) *Sess. XXV. de Reform. cap. 3.*
(2) *Cap. 26. c. 24. qu. 3.*
(3) *Cap. 13. §. 1. de haeret.*
(4) *Cap. 2. §. 2. in 6.*

CONCLUSIO SECUNDA

Multa ad communicationem cum haereticis spectantia congeruntur; de societatibus occultis quaedam praenotantur.

Est piae, prudentisque matris non solum filios suos, ut caveant a malo, monere, sed etiam minis poenisque illinc audaces, imprudentesque absterrere, ubi illis mala, et pericula cernit imminere. Merito igitur ab Ecclesia fidelium omnium matre a Spiritu Sancto ducta, ne clandestina perfidiae lues, atque pestiferus haereticorum sermo velut cancer serpens incautos filiorum suorum animos afflaret, prohibita est 1.° communicatio cum haereticis *in divinis*, et *in falsa eorum religione*, in exercitio scilicet cultus schismatici, et ritus falsi; hujusmodi vero familiaritas ex qua periculum imminet subversionis, et propter injuriam, quae Deo infertur, ipso jure naturali utique prohibita est (a). Quod si haeretici, nec

(a) Si cultus schismatici occasione dentur signa religionis, sic tamen ut referantur ad aliud objectum vere sacrum et venerandum, ex. gr. si Sacerdos schismaticus consecraret, vel deferret hostiam consecratam, quamvis haec occasio vitanda sit, non tamen interdicta in ea talis communicatio est fidelibus. Non abs re excribere ducimus, quae S. Ligorius l. 2. c. 3. n. 16. citatis aliis DD. notat nimirum « In Germania audire conciones haereticorum, » deducere funus, assistere baptismo pro patrino, non haben» tur signa professiva fidei vel communionis cum hrereticorum » sacris. Unde seclusis aliis ex. gr. scandalo, periculo, prohibi» tione, et si ex justa causa fiant, licent. Imo patrinum fieri talis » infantis, videtur potius optandum in fide catholica ».

« Infidelium, et haereticorum sacris non licet ita interesse, » ut eis communicare censearis; alioquin licet ex. gr. ut quis spe-

fuerint denuntiati, nec aliunde sectam efficiant separatam, quantumvis manifesti sint, non prohibetur cum

» tat tamquam comoediam, aut famulatum praestet politicum
» domino suo exemplo Naman Syri ».
» Catholici viventes inter haereticos, si ex praecepto Magistra-
» tus contrahant matrimonium coram ministro haeretico, peccant
» contra fidem etiamsi contraxerint antea, vel contracturi sint
» postea coram Sacerdote catholico; testatur enim caerimonia illa
» se illum agnoscere pro fidei ministro. Adde doctrinam Pau-
» li V ann. 1606, qui scribens ad catholicos Angliae ait: Accepi-
» mus compelli vos, gravissimis poenis propositis, templa haere-
» ticorum adire, coetus eorum frequentare, concionibus illorum
» interesse. . . Non licet vobis haec facere sine detrimento ve-
» strae salutis ».

His addere juvat tamen, quae statuit Pius VI feliciss. record. tum die 27 sept. 1791 tum 16 decem. 1793 tempore perturbationis Gallicae cum schismaticis constitutionis civilis palam adhaeserunt ibi plurimi parochi, multasque Ecclesias invasissent intrusi, qui nempe a pseudo-episcopis tantum suam institutionem tenebant.

« Non licere fidelibus, sive diebus feriatis, sive diebus domi-
» nicis, aliisque de praecepto Missae assistere celebratae a Pa-
» rocho, vel simplice presbytero, qui civicum juramentum emi-
» serint, neque eisdem fidelibus licere vesperis, publicisque pre-
» cibus assistere, quibus parochus, vel simplex sacerdos prae-
» est, cum expresse vetita fuerit quaevis communicatio praesertim
» in divinis cum intrusis et refractariis, quocumque nomine ap-
» pellentur ».

« Non posse fideles parochum juratum adire pro sacramento
» baptismatis, excepto casu extremae necessitatis, in quo non
» adesset alius volens baptizare ».

« Non licere fidelibus patrini munere fungi in baptismate ad-
» ministrato a parocho, vel presbytero jurato, aut parocho in-
» truso ».

« Non licere mulieribus post partum se praesentes sistere pa-
» rocho, aut presbytero intruso ».

« Non esse improbandam rationem, quam inierunt nonnulli Gal-
» licani praesules, qui in articulo vel periculo mortis, poeniten-
» tiae sacramentum a sacerdotibus juratis, ac etiam a parochis

eis communicatio in sacris : imo communis est doctrina his haereticis applicandam esse Const. *Ad evitanda*. Observanda tamen sunt, quae mox dicenda sunt circa Sacramentorum denegationem, et praeterea cautiones illae tenendae sunt, quae ipsum praedictum jus naturale praescribit; 2.° communicatio *in vero cultu* cum haereticis non ita absolute prohibita censetur, ut sint excludendi a sacris ritibus: et quamvis non desint, qui cum Pontio (1), aliisque dicant non esse licitum missam celebrare coram illis, qui pertinent ad sectam separatam, observat tamen de Lugo usum esse contrarium; et quidem catholici non tenentur vitare in sacris nisi denuntiatos praesertim ex const. cit. *Ad evitanda*. At *positive* videntur non esse invitandi, ut missae intersint absque consensu superiorum juxta aliquos DD. nam ipsis etiam non denuntiatis excommunicatis interesse prohibitum est.

» intrusis recipi posse permiserunt, deficiente quovis alio sacer-» dote catholico ».

« Non autem licere absolutionem, et communionem quovis an-» ni tempore, praesertim vero tempore paschali jurato petere ».

« Non licere parochum juratum adire pro matrimonio ».

« Fideles genuflectere debere coram hostiis consecratis, etiam » ab intrusis, ne vero in ejusmodi cultu praestando immiscere se » videantur cum schismaticis, curandum esse fidelibus ut decli-» nent occasiones occursus schismaticorum, cum sacramentum » deferunt ».

Denique est notandum quod in dioecesi Neapolitana ex Synodo Pignatel. incidant in casum reservatum cum excommunicatione » omnes utriusque sexus, et cujusvis status aut dignitatis perso-» nae, quae haereticorum cujuscumque sectae coetus adeunt, » in quibus conciones, et catechismi, aut quicumque eorum ri-» tus, praesertim a S. Catholica Rom. Ecclesia damnati exer-» centur, quoties hujusmodi exercitiis quovis praetextu, et occa-» sione, etiam simplicis curiositatis assistunt ».

(1) *De quadrim. c. 9. num. 1. et 8.*

Ut peccator publicus ad participationem Sacramentorum haereticus non est admittendus (1). Et matrimonium cum haeretica parti catholicae leges Ecclesiae interdicunt (2), sicut nec ut patrinus admitti potest haereticus in matrimonio; 3.° communicatio *in civilibus* in indifferentibus, ac politicis, quae periculo ruinae, et scandali vacat, non est prohibita: imo non est prohibitum propter urbanitatis officium interesse ritui falso, modo non participatur in actu ipso falsae religionis, salvis tamen observationibus praenotatis (a).

De disputatione cum haereticis jure naturae primum tenendum eam vetitam esse et disputantibus, et audientibus, ubi periculum adsit spiritualis ruinae. Jure canonico sic cautum est (3): « Inhibemus » ne cuiquam laicae personae liceat publice, vel pri» vatim de fide catholica disputare: qui vero contra » fecerit excommunicationis laqueo innodetur: » quam intellige ferendae sententiae, et ad disputationem proprie dictam pertinentem (4).

Vetuit etiam Ecclesia lectionem librorum haereticorum, aliorumque, quos justissime catholicus abhorrere debet. Sed de hoc argumento egimus, cum Sacrae Congregationis indicis naturam, et munus interpretati sumus (5). Demum de societatibus occultis

(a) Sic non videtur peccare, qui interest honoris personalis causa, sive matrimonio, quod coram ministro haeretico celebratur, sive exequiis, quae fierent ritu haeretico; secus vero si interveniret ut testis in matrimonio religioso coram ministro haeretico, sive schismatico.

(1) *Confer concl. 2. c. 3. pag. 33. 2. volum.*
(2) *Confer concl. 12. c. 17. cit. vol. 2.*
(3) *C. quicumque 2. de haeret. in 6.*
(4) *Confer De Lugo de fid. disp. sect. 5.*
(5) *1. vol. concl. 4. pag. 213.*

fallaci medio, quo utitur impietas, et haeresis ad veram convellendam fidem, juvat constitutiones referre Clementis XII, Benedicti XIV, nec non Pii VII, et Leonis XII. Et re quidem vera ann. 1738 cum jam diffusa esset dicta societas *liberorum muratorum*, seu des *Francs Macons*, vel aliter nuncupata, Clem. XII const. *In eminenti* societates, coetus, conventus, collectiones, aggregationas vulgo des *Francs Macons*, vel aliter appellatas perpetuo damnavit praecipiens omnibus christifidelibus, sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, et Summo Pontifici reservata, ne quis praesumeret hujusmodi societates inire, receptare, occultare, in iisque inscribi, aut interesse. Benedict. XIV ann. 1751 Bulla *Providas* renovavit, et confirmavit easdem leges considerans, *quam magna pernicies catholicae religionis puritati per has societates inferatur*.

Pius VII novas societates occultas *Carbonariorum* dictas sub iisdem poenis in universum inhibuit. Postremo Leo XII ann. 1826 prohibuit non solum sub poena excommunicationis, ne quis istis societatibus addicatur vel intersit, vel faveat; sed praecepit ut reveletur ordinario locorum, quicumque cognoscatur ad easdem societates pertinere, simul declarans vi prorsus carere juramentum, quod ab earum sociis praestari solet.

CAPUT IV.

DE SIMONIA.

CONCLUSIO PRIMA

Simoniae natura extricatur, species ejus enucleantur.

Ante haereses, et schismata simonia erupit in Ecclesia, auctore Simone Mago, a quo nomen simul, et infamiam nacta est. Ipse namque primus *obtulit* (Apostolis) *pecuniam dicens: Date et mihi potestatem* (1). Hujus atrocitas ex canonibus declaratur, in quibus vocitatur *lues*, *labes*, *pestis*, *vulnus cancrosum*, *sacrilegum*, idque vere et proprie tale (a), ***horrendum nimis***, ***crimen omnibus majus***, ***haeresis***, dum nempe quis perverse *judicet* spiritualia pretio temporali acquiri posse. Cum communi DD. sequentium D. Thom. definitur: Studiosa voluntas emendi, vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali adnexum (b). Unde

(a) Nam simonia fit injuria rebus sacris, et ipsi Deo tamquam auctori supernaturalium, unde nec rei parvitatem per se admittit nisi ex. gr. res modica, uti fit in c. 18. *de simonia*, praesumatur esse mere donata, et non data tamquam pretium.

(b) Dicitur *studiosa voluntas* idest deliberata, quae aliquando sufficit etiam sine opere; excludit tamen omnes motus voluntatis non satis deliberatos, vel procedentes ex ignorantia invincibili; *emendi*, *et vendendi:* quo intelligitur omnis conventio onerosa, et permutatoria, ex quo exurgit obligatio justitiae: *pretio temporali:* omnis enim ejus malitia est in eo, ut aestimetur spirituale pretio temporali. Pretium vero temporale a DD. ex c. 8. c. 5. q. 3. et can. 119. et seq. c. eod. q. 1. triplex distinguitur 1.° *munus a manu*, quod *manus favoris* dicitur, seu pretium muneris, uti est pecu-

(1) *Act.* 8.

tria in hoc genere delicti concurrunt: *studiosa voluntas* dandi temporale pro spirituale, aut spirituali adnexo: *Res temporalis* quaecumque sit pretio, temporali aestimabilis: *Res spiritualis*, aut spirituali adnexa tamquam *merx*.

---

nia et quidquid nomine pecuniae venit, idest omnes res, quae sunt pretio aestimabiles, ut ex S. August. dicitur in c. *Totum* 6. c. 1. q. 3. et sub hoc nomine veniunt etiam res promissae, etiam si ageretur de re mutuanda. Insuper intelligitur et remissio debiti, et simoniacus haberetur ex jure canonico Episcopus, qui ordinaret aliquem dispensando a titulo sub conditione quod nihil sit ab ipso postulaturus ad victum et sustentationem, ad quam sic ordinans teneretur; 2.° *munus a lingua* seu pretium linguae; uti sunt intercessiones, laudes, preces, favoresque etc. quia hujusmodi patrocinium est pretio aestimabile. Coeterum gratuitae et humiles preces a candidato beneficii per se vel per aliam personam interpositae non mediante pecunia, nec proprie munus a lingua, nec vitium simoniae efficiunt, uti patet ex c. *latorem* 121. et seq. 1. q. 1. Si igitur canonicus actui electionis praemittit juramentum, quo promittit se non electurum eum, qui hanc dignitatem pro se quaesierit, censetur excludere eum, qui simoniace dignitatem quaerit, nempe per preces armatas, aut per abusum potestatis saecularis; 3.° *munus ab obsequio* seu pretium obsequii, uti est famuli, oeconomi etc. *Spirituale*: per quod intelligitur non tantum incorporale, sed quod est aliquo modo supernaturale, et ad salutem animarum supernaturalem ordinatum. Quod tripliciter potest esse 1.° *intrinsece et quoad substantiam* ex. gr. gratia santificans, virtutes theologicae, et morales etc. 2.° *causaliter* spirituale quod est causa donorum spiritualium, et supernaturalium prioris generis ex. gr. sacramenta, officia ecclesiastica etc. 3.° *tamquam effectus* spiritualia, uti sunt actus ex spirituali gratia, vel quocumque dono spirituali procedentes ex. gr. baptizare, ordinare, officium divinum celebrare, concionari, miracula facere etc. Ita Suarez l. 4. c. 9. n. 1. *de simonia. Spirituali adnexa*: seu quod in se et intrinsece non est spirituale, habet tamen cum spirituale connexionem, et hoc tripliciter fit 1.° *antecedenter*, si res temporalis praesupponitur, et primum ordinatur ad spirituale, quocum habet connexionem ex. gr. vasa, vestes, templa, oleum etc. sunt namque per se quid temporale, et per consecrationem, vel benedi-

Et quoad primum studiosae voluntatis gradus interpretando species simoniae par erit distinguere nimirum : 1.° si quis internum propositum concipit dandi temporale, ut per hoc adquirat spirituale, aut vicissim, quin hoc propositum deducatur in actum, simonia erit *mere interna*; 2.° si alterutrum datur reipsa eo animo et proposito, ut alterum velut debitum acquiratur, quin tamen is animus manifestetur ullo pacto, committitur simonia *mentalis*; 3.° si voluntas haec ab una tantum parte manifestatur, offerendo temporale pro spirituali, aut vicissim, simonia dicitur *pure conventionalis*; 4.° si alterutrum, temporale vel spirituale praestitum jam sit sub conventione obtinendi alterum ex. gr. pecunia data sit pro suffragio electionis, cujus dies nondum advenit, simonia vocatur *mixta*; 5.° si pactio ex utraque parte completur, fit simonia *realis*. Datur et simonia *confidentialis*, sed deinceps eam interpretabimur. Denique si res ex se spiritualis vendatur, aut permutetur pro re temporali, simonia prohibita *juris divini et naturalis* est: at *juris ecclesiastici* dicitur actus, qui prohibetur ab Ecclesia ex motivo Religionis ob reverentiam rebus sacris debitam, et honestatem illam, propter quam jus naturae prohibet simoniam, scilicet quia saltem habet speciem ac periculum simoniae ex. gr. si duo beneficia inter se illicite, et sine superioris auctorita-

---

ctionem ordinantur ad missae sacrificium, sacramenta etc. 2.° *concomitanter* quae per intrinsecam necessitatem sunt conjuncta rei spirituali : uti est labor conjunctus ministeriis sacris ; 3.° *consequenter* si nempe aliquid secundum se quidem temporale tamquam effectus supponit causam spiritualem, uti sunt beneficia ecclesiastica, quae praesupponunt officium divinum, ordines ecclesiasticos tamquam causam, quia propterea dantur. Lessius loc. cit. num. 5.

te permutantur (1), vel quando res de se quidem temporalis, et pretio aestimabilis ex. gr. sacrum oleum venditur, etsi ratione consecrationis nihil petatur (alias esset simonia juris naturalis) quia hoc est prohibitum (2). Haec species posterior simoniae consuetudini, mutationi, et dispensationi subjacere potest, non prior.

Insuper opus est intelligatur, quis actus ipsius *studiosae voluntatis* requiratur in dante, vel accipiente, ut sit simonia; finis enim operis, et finis operantis, sicut pretium operis, et finis, quem intendit operans, distingui inter sese possunt, hinc advertendum quod 1.° res temporalis potest considerari ut *motivum determinans*, propter quod res spiritualis, et vicissim res temporalis datur; quod motivum potest esse vel *principale* ita ut sine eo non determinaretur voluntas, vel *accessorium* ita ut partim influet in alterutrius voluntatem; 2.° res temporalis potest dari propter motivum extrinsecum, puta honestae sustentationis, et tunc vel intendi potest *principaliter*, ita ut non ageret minister, si non esset eam accepturus; vel *nullatenus* intendi potest; vel *accessorie* tantum, puta, si facturus esset rem spiritualem amore Dei, sed nihilominus spectat ad rem temporalem, quae ipsi obvenit. Quibus positis collige 1.° simoniam committi juxta canones, si res temporalis intenditur ut motivum sive principale, sive accessorium propter quod res sacra datur, aut vicissim (3). Implicita enim his in casibus res temporalis habetur ut pretium rei spiritualis, ubi datur ut commutatio, et inter utramque relatio insti-

(1) *Cap. 5. et 7. de rerum permut.*
(2) *C. 8. de simon.*
(3) *Ex c. Tua nos 34. de simon.*

tuitur (a); 2.° si motivum omnino sit extrinsecum, qui nullatenus intenditur, ita ut omnino non propter pretium temporale res sacra datur et vicissim, justus titulus tunc habetur, nec simonia datur (b).

(a) Hinc qui Episcopo, aut Principi gratis inservit eo motivo, ut postea beneficium consequatur, videtur reus simoniae.

(b) Hinc justus est 1.° titulus *sustentatio ministri Ecclesiae* 1. Cor. IX quamvis ille, qui ministerium spirituale impertitur, quaerat principaliter rem temporalem et ideo sit peccati reus, ut communius DD. tenent quia sic non datur res temporalis ut pretium. Item de hac sustentatione ante pacisci licet, quam officium sacrum suscipiatur arg. c. fin. 1. q. 2. ubi dicitur *stipendia sanctis laboribus debita secundum ordinationem canonum*, 2.° *titulus laboris extrinseci* seu obligationis aliunde non debitae et in gratiam alterius susceptae c. *significatum de praebend.* De labore necessario tum ad praeparandam concionem, tum ad ipsam habendam Suarez asserit c. 21. n. 15. esse materiam simoniae, quia ordinatur, ut homo fiat aptum Sp. S. instrumentum, nec distinquendum esse ob id quod labor iste in aliquo homine sit major, 3.° *titulus gratitudinis* sic tamen, ut ne quis ad certum modum gratitudinis ante se obligaverit, quam spirituale acceperit, nec animum habeat simoniacum. Hinc etsi videtur absque simonia deduci in pactum posse, quod offertur ex titulis extrinsecis, si fiat juxta consuetudinem Ecclesiae propter titulum sustentationis, uti dictum est, item laboris extrinseci, et damni emergentis, uti si quis suis impensis fecerit iter ad concionandum etc. ex titulo tamen gratitudinis non est ita, quia videtur simonia, et id opponitur tot decretis quae pacta quaelibet circa res sacras prohibent. Insuper quia tali pacto prohibitio simoniae eluderetur. Hinc damnatae prop. 45. et 46. ab Innocentio XI. « Dare temporale pro spirituale non est simonia; quando temporale non datur tamquam pretium, sed solum tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit tantum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra. Vide Concil. Trid. sess. 21. c. 1. *de reform.* ubi prohibuit recipere etiam sponte oblatum, quod olim in collatione ordinum et in concessione dimissoriarum fuit permissum; uti etiam ratione examinis in concursu sess. XXIV. c. 18. *de reform.* 4.° *titulus* consuetudinis modo irrationalis non sit ex mente canonum, aut talis evadat, exigendo importune, anticipato, praemisso pacto, aut plus quam superiores ecclesiastici conce-

Quoad secundum vero scilicet pretium seu munus simoniacum, simonia non erit, nisi primario sit res temporalis: non enim lex naturalis vetat spirituale

---

dunt ex. gr. reditus stolae pro exequiis mortuorum, et benedictionibus nubentium, et similibus c. 42. *de simon.* 5.° *titulus redimendae vexationis* dando temporale, ut alter cesset ponere impedimentum certo injustum, nisi ex circumstantiis appareat pactum tacitum inter dantem, et accipientem. Ut autem omne dubium hoc in argumento vitetur, tres sunt regulae, quae a DD. afferuntur. *Prima* est: post jus certo, saltem secundum commune judicium, acquisitum ex. gr. in beneficio per electionem, postulationem, confirmationem, institutionem, vel collationem beneficii non est simonia, pecunia, vel alia re temporali redimere vexationem, quae injuste infertur ad jus tale jam adquisitum tollendum. Ita Lessius, Suarez cum D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. et ratio est quia sic non datur aliquid pro jure spirituali, quod supponitur jam adquisitum, vel certo debitum. *Secunda* regula est: pro jure nondum acquisito in beneficio, sed primum acquirendo non licet absque simoniae vitio pecunia, vel alia re temporali redimere vexationem etiam injustam ab eo, qui non tantum obesse, sed prodesse etiam potest, seu qui habet potestatem dandi illud spirituale, quod est acquirendum. Ita Lessius cum Suarez l. 4. *de sim.* c. 5. n. 18. et 27. nam aliter acquireret semper jus spirituale mediante pecunia. *Tertia* regula est: non est simonia vexationem injustam redimere, etiam antequam jus in beneficio acquisitum sit, ab his, qui solum possunt obesse, sed non prodesse ex. gr. si quis vi, vel fraude electorem vel collatorem detineat, ne suffragium dare, vel collationem facere possit, vel si injuste alterum infamet, ne eligatur, vel praesentetur etc.; nam ex una parte licet cuique jus suum, famam etc. defendere, et iniquas machinationes contra se impedire: et ex altera parte talis redimet tantum nocumentum, pro cujus cessatione pretium datur, quae est aliquid mere temporale. Coeterum si talis vexatio iniqua aliter quam dando pretio redimi possit, tunc fieri debet, ne fiat formalis cooperatio ad injustam acceptationem alterius. Item: si non de beneficiis agatur, sed de aliis actibus mere spiritualibus ex. gr. de sacramentis saltem in extrema, vel gravi necessitate, in absolutione a censuris, si injuste infliguntur, vel earum absolutio cum spirituali detrimento denegetur, non est pro-

dare pro spirituali : exceptis tamen spiritualibus, quae propter connexionem suam cum temporalibus jure ecclesiastico inter pretia simoniaca numerantur, quod in beneficiis maxime locum habet (a).

Quaecumque denique tertium spectant *rem* nempe *spiritualem*, vel *spirituali adnexam*, quatenus est simoniae materia, patent tum ex praenotatis, tum ex sequentibus conclusionibus, in quibus res ipsas spirituales, et spiritualibus adnexas numerabimus (b).

---

hibitum pecunia redimere injustam vexationem. Ita Less. l. 2. c. 35. n. 38. Suarez loc. cit. l. 50. pecunia enim heic datur, ut pravam illam voluntatem deponat minister, et debito modo conferat. Quamvis non desint Theologi, qui tenent non posse dari pretium Parocho injuste se recusanti nisi pretio dato, ut conferat sacramentum, quia sic ajunt emi rem sacram.

(a) Dare, promittere, legare etc. aliquid temporale sub modo, vel conditione rei spiritualis ex. gr. si parentes liberis donant aliquid, ut diligenter frequentent sacramenta : si puella promittit haeretico nuptias, ut fiat catholicus etc. non est simonia juxta DD. et praesertim Suarez *de Relig.* l. 4. c. 39. Layman l. 4. tr. 10. c. 8. et praxim communem probatam a Ss. canonib. cap. 12. *de rest. spoliator.* c. fin. *de testam.* et alibi, quia in his non intervenit contractus onorosus imponens absolutam obligationem, sed id quod sub modo datur, adhuc gratuito et liberaliter datur.

(b) Si quis aliquid spirituale ordinet ad acquirendam rem temporalem tamquam finem extrinsecum, id est qui natura sua non habet connexionem, sed praecise ab agente libere intenditur, committit simoniam, quia talis operans vi suae intentionis indigne, et irreligiose tractat rem spiritualem, eam in commutationem trahendo pro temporali ex. gr. si confessarius per absolutionem sacramentalem intenderet remunerationem temporalem tamquam finem. Item si quis ordinet rem spiritualem ad acquirendam rem temporalem tamquam finem intrinsecum, sed principaliter, quam scilicet per se primo respicit, uti ex. gr. in beneficio servitium et cultum divinum, committit pariter simoniam. S. Th. quodlibet 8. art. 11.

CONCLUSIO SECUNDA

Actiones, et functiones sacrae et spirituales, nec- non ea, quae concomitanter annexa sunt eis, sunt materies simoniae.

Sacramenta, et sacrificium inter res sacras, quasi principem tenent locum. Et quoniam homines haec conficiunt, et faciunt ex sacra potestate ad spiritualem effectum ipsis a Christo concessa; proinde hae actiones non hominis, sed Christi moraliter habentur; homines enim in his personam Christi agunt. Ergo simoniacum est pro temporali eas peragere. Innumeri sunt canones, quibus id vetatur (1) (a). Functiones ordinum sacrorum, et quaecumque divina officia ex in-

---

(a) De his quae in comperto sunt, juvat tantum addere, quod Trid. sess. XXI. c. 1. *de reform.* de ordinatione cavit his verbis: « Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiae suspicio abesse » debet: nihil pro collatione quorumcumque ordinum etiam clerica- » lis tonsurae, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec » pro sigillo, nec alia quacumque de causa etiam sponte oblatum, » Episcopi, et alii ordinum collatores; aut eorum ministri quovis » praetextu, accipiant. Notarii vero in iis tantum locis, in quibus » non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis li- » teris dimissoriis, aut testimonialibus, decimam tantum unius au- » rei partem accipere possint; dummodo eis nullum salarium sit » constitutum pro officio exercendo, nec Episcopo ex notarii com- » modis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus di- » recte, vel indirecte provenire possit. Tunc enim gratis operam » suam eos praestare omnino teneri decernit, contrarias taxas, ac » statuta, et consuetudines etiam immemorabiles quorumcumque » locorum, quae potius abusus et corruptelae *simoniacae pravitati* » faventes nuncupari possunt, penitus cassando, et interdicendo; » et qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes ultra divi- » nam ultionem, poenas a jure inflictas ipso facto incurrant ».

(1) *C. baptizandis 99. c. 1. 1. c. Nullus 100. ibid. et alibi.*

stitutione Ecclesiae sunt exercenda per ministros sacros, materia sunt pariter simoniae (a) (1). At de functionibus ordinum minorum, quae frequenter a laicis exercentur, dubium videtur, cum sint aliqui, qui negant esse simoniam, si non gratis, et privato modo exerceantur, ut etiam solent exerceri a pueris, et à communibus laicis, qui missae ministrant, qui lectiones in officiis legunt, epistolam in missa decantant: affirmant aliqui, et forsan probabilius; nam sic etiam voluntarie cooperatur ministerio sacro, et sua actio conjungitur cum actione ministri principalis, quibus res sacra fit, unde venaliter non potest agi, et si quid accipitur, honestae tantum sustentationis titulo fieri debet (b). Constat denique, quod benedictiones Ecclesiae, et res benedictae materia sunt simoniae, si in hujusmodi rebus habeatur etiam ratio benedictionis, ita ut pluris vendantur. Quod si in abstracto, et quoad materiam, et formam artificialem praecise considerentur, sine vitio simoniae vendi possunt. Ita S. Thomas (2) et communis Theologorum, et Canonistarum; ratio est quia valorem intrinsecum, quem res istae ante benedictionem sive consecrationem habebant, non amittunt;

(a) Non est simonia juxta quasi communem, et receptam praxim etiam praemisso pacto exigere stipendium sustentationis: nam quod ex justitia debitum est, supposito quod nec lege, nec consuetudine sit determinatum, per pactum determinari potest. Dummodo tamen turpiter non sit exactio avaritiae, quae speciem simoniae praesefert ex. gr. spirituale non prius detur, quam pecunia sit data, vel saltem de ea solvenda sit praestita cautio, quod prohibetur c. 36. et 41. *de sim.*

(b) Hoc tamen non intelligendum de functionibus indifferentibus et materialibus, quae etsi sint hostiariorum, committuntur tamen laicis ex. gr. Ecclesiam custodire, mandare etc.

(1) *L. ad apostolicam cum in Eccl. q. 9. de sim.*

(2) *2. 2. q. 100. a. 4.*

nec consecratio ipsa vel benedictio ita est annexa eis, ut in existimatione morali per intentionem ementium, et vendentium separari nequeat. Nec valet contra, quod prohibetur vendi S. Chrisma (1), oleum, templa, altaria etc. (2) etiam quoad materiam ita, ut alias simonia committatur; quae etiam antecedenter res tantum sacrae non possunt vendi sine simonia; nam de his adest prohibitio, et quidem juris ecclesiastici, (quod ideo prohibuit venditionem Chrismatis juxta DD. quia materia cum sit exigui pretii, vendita potius censeretur ipsa benedictio.)

CONCLUSIO TERTIA

Exercitium jurisdictionis, et potestatis Ecclesiasticae pro temporali ad simoniae materiam pertinet.

Nulli dubium, quin sit simonia juris naturalis, et divini, si ex una parte potestas, aut jurisdictio spiritualis, et ex altera parte res temporalis aequiparentur, et permutentur inter sese (a). Imo quamvis materia, circa quam exercetur potestas illa, esset de re temporali ex. gr. in lite temporali duorum clericorum; nam semper actus est de se connexus cum re seu potestate spirituali; quod verum est, etiamsi hic actus esset invalidus; semper enim attentatur aliquid spirituale, vel spirituali adnexum pro temporali. Hinc collige non posse parochum pro pretio matrimonio assi-

(a) De officiis mere temporalibus Ecclesiae idem non videtur statui posse, etsi id quoque tamquam simoniacum jure ecclesiastico vetitum sit.

(1) *Cap. 102. et 105. q. 1. c. 1.*

(2) *Cap. querelam 15. de Sim.*

stere tamquam parochum, aut licentiam ad matrimonium alibi celebrandum, ad confessionem faciendam ullo modo vendere. Quod si occasione attestationis bannorum, aut similium solet peti aliquid a parochis id ad laudabiles consuetudines referendum.

Episcopus vero, qui alicui Ecclesiae, aut monasterio remittit jurisdictionem, et subjectionem, potest absque simoniae vitio, sibi reservare annuum censum (1), et hoc in recognitionem prioris jurisdictionis, et indicium concessae liberalitatis (2). Quae de fructibus beneficiorum reservantur a S. Sede, simoniae labe obnoxia non esse jam demonstratum fuit (3) nec quae causa dispensationum ab eadem exiguntur (4) sicut nec quae officialibus dioecesanis solvuntur (5).

Omissio denique potestatis spiritualis, si pura sit omissio actus, et exercitium merum libertatis naturalis, non constituit materiam simoniae ex. gr. si parochus pretio adductus nollet facere sacrum, aut audire confessiones, quando ad hoc tenetur. Ita Lessius (6), cum Suarez, et aliis; etenim omissio simplex actus non continet in se qualitatem spiritualem. E contra si talis omissio in existimatione morali adhuc sit exercitium jurisdictionis; tunc enim aequivalet actui vel usui jurisdictionis ex. gr. si quis pro pretio negat digno absolutionem, dispensationem, approbationem, administrationem jurisdictionis ecclesiasticae, promotionem ad beneficium etc. hoc enim est exercitium potestatis solvendi, et ligandi, concedendi, et retinendi aliquid spirituale (7).

(1) *C. 6. de reliq. dom.* (2) *C. 8. de privileg.*
(3) *Vol. 2. concl. 5. c. 7. pag. 141.*
(4) *Confer vol. 3. pag. 546. not. (b).*
(5) *Confer concl. 10. c. 10. p. 447. 2. vol.*
(6) *L. 2. de Just. c. 35.* (7) *Cap. 14. de Sim.*

CONCLUSIO QUARTA

Beneficia, officia ecclesiastica, et pensiones latissimam praebent materiam simomiae, sed speciatim illius, quae ex confidentia incurritur.

Inter spiritualia censentur etiam, quae lato sensu, et per reductionem sunt talia, ita ut late etiam pateat simoniae materies, nec frequentius hoc vitium, quam in officiis, et beneficiis ecclesiasticis irrepit (a). Igitur simoniace beneficia, et officia conferuntur, si pro quovis actu, quo obtinentur, pretium temporale intervenit ex Trid. (1) (b). Etenim spirituale pro temporali venditur, et emitur (c). Nec hoc erit tantum, dum acci-

(a) Ubi cum pace possessiones, ac divitiae in Ecclesiam venerunt, simoniae vitium etiam pervasit, frequentiusque in ordinationibus, et beneficiis esse coepit, quamvis illius mentio in veteri disciplina in ordinationibus fiat, quippe a beneficiis non erant separatae: in nova vero in beneficiis, ut quae ferme a saecul. XI seorsim ab ordine conferri consueverunt. Imo historia de saecul. X et XI ubi feuda Ecclesiae et Monasteriis donata fuere, testatur et simoniam locum simul habuisse. Immo ut Alexander III affirmat in c. *quam in Eccl.* 8. *ex de simon.* Simoniam licitam esse nonnulli defendebant *ex longa* diu recepta *consuetudine.*

(b) Plures sunt isti actus nimirum *nominatio*, vel *praesentatio*, et *institutio* cap. 2. et 37. et alibi *de simon. Electio*, *confirmatio, postulatio, ejusque admissio* c. 2. 27. 34. eod. *Collatio, admissio ad possessionem*, sive *introductio*, *institutio*, *investitura regia*, *nominatio*, institutione secuta *resignationes*, *permutationes.*

(c) Juxta plures DD. simonia juris naturalis dicitur permutare beneficium pro re temporali ex c. 9. q. 3. c. 1. ubi aequiparatur talis permutatio simoniae, quae admittitur in emptione rei sacrae ex c. 3. c. 1. q. 1. ubi dicitur quod Ecclesiam, seu beneficium vendere, aut emere nihil aliud sit, quam *altare*, *et decimas*, *Spiritum Sanctum emere*, *et vendere*: nec ajunt deesse rationem; quia

(1) *Sess. 24. c. 14 de Reform.*

piens spirituale dati pretii conscius sit, sed sufficit ut collator spiritualis ipsius illud acceperit, quicumque sit, qui donet (1), etiamsi beneficiarius vitium ignoret (2); semper enim verum est, quod gratis non datur, quod gratis acceptum est, semper sacrum pro temporali habetur, at ita tamen, ut in fraudem non fuerit et dispendium ejus, qui eligendus erat, quum malitiis hominum non sit indulgendum (3). Neque dicas cum profanis hominibus larvas excogitantibus, quo simoniam, ut ajunt, *palliarent*, pretium sive temporale aliquid offerri tamquam motivum tantum impellens ad obtinendum officium, aut beneficium; ipse enim Simon Magus similiter excusari posset, qui certe Apostolis pecuniam obtulit non existimans hanc ejusdem esse pretii ac Spiritus S. donum, proindeque ut *motivum* et incitamentum obtulit, quo illos impelleret ad Spiritus Sancti donum sibi conferendum. Nonne

---

beneficium datur propter officium spirituale c. fin. *de rescript.* in 6. et revera jus percipiendi fructus temporales Pontificis auctoritate annexum est officio spirituali, et ita ut in hoc fundetur, et quandiu manet illa annexio, nec a Summo Pontifice (qui solus id potest) est sublata, censeatur unum esse simul jus, et officium, et beneficium: ergo unum sine altero, nisi a Summo Pontifice separatum, vendi non potest juxta c. 7. c. 1. q. 3. venderetur aliter spirituale pro temporali, quod est simonia juris naturalis, quod prohibet, ne quis vendat ea, quorum non est dominus; item et juris divini positivi, cum sit id contra Christi sententiam, qua dicitur Matth. 10. 8. *gratis accepistis, gratis date*. Revera *quisquis horum alterum vendit*, inquit Paschalis papa in c. 7. c. 1. q. 3., *sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum dereliquit*. Addesis c. 3. c. 1. q. 1. ubi habetur quod beneficium vendere, aut emere nihil aliud sit, quam *altare, et decimas, et Spiritum S. emere, vel vendere*. Confer D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. in corp.

(1) *C. 3. c. 1. q. 3.*
(2) *C. 27. ex de sim.*
(3) *C. 1. 27.*

nisi stolidus ac vecors pecuniam daret ut pretium beneficii cum posset impune dare per modum illecebrae patronum, vel collatorem promoventis ad illud conferendum? Damnavit merito igitur Innoc. XI propositionem: *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi spirituale* (a).

Praeterea *pensiones spirituales* illae nempe, quae clerico propter officium spirituale dantur, utpote annexae spirituali juri, et ministerio, materies sunt etiam simoniae (1); hisque accensendae sunt, quae dicuntur *mixtae*, atque non dantur nisi clericis, quamvis non propter officium spirituale, sed per modum eleemosynae ad ipsum sustentandum, quia pauperem, aegrum, senem, aut eum, qui renuntiavit, vel permutavit legitimo modo beneficium, quod pacifice possidebat, vel quae dantur ad litem in beneficio componendam; etenim jus, quod pensionibus istis acquiritur, auctoritate ecclesiastica perinde annexum est officio spirituali, ac in beneficiis fit. Unde huic pensionario onus recitandi officium est B. V. Mariae, dummodo non aliunde ad horas canonicas teneatur (b).

Pensio constituta gratia alimentorum absque simo-

(a) Etsi jus percipiendi fructus, quod est beneficium, officio spirituali sit adnexum, ipsi tamen fructus beneficiales, sive pendentes adhuc sint, vel futuri, sive jam separati a solo, licite venduntur, permutantur, locantur etc. pro temporali.

(b) Dantur et pensiones *mere temporales* scilicet ob temporale obsequium sive clericis, sive laicis ex. gr. *musicis*, *aedituis*, quae etsi ex beneficio trahantur, in se nec spirituales, nec spirituali adnexae dicuntur; extractae enim considerantur, et pro temporali ministerio assignatae, temporales et profanae censentur.

(1) *Confer quae de pensione dicta sunt p. 460. 2. vol.*

nia redimi non potest anticipata solutione, et compositione, quidquid aliqui dicant, si is, qui eam solvere tenetur de suo beneficio, unam summam integram pensionario consentienti det, sublata in posterum obligatione quidquam solvendi, nisi adsit auctoritas superioris, et casu quo pensionario sit licita, retinet obligationem, et officium spirituale, secus esset manifesta venditio; argumentum colligi potest ex Trid. (1). Concordat lex civilis (2) qua prohibetur de futuris alimentis transigere sine auctoritate Praetoris. Adhaec ex Bened. XIV cautum (3), ut si beneficia resignantes sub pensione pactum ineant cum resignatario de cedenda huic pensione seu commodo exigendi fructus ejusdem pensionis, soluta anticipate pecunia, pactum istud sit irritum et inane, et resignatarii decidant omni jure beneficii, ipso facto, absque judicis ulla declaratione, ac ut pecunia soluta restitui debeat sub peccato gravi ab ipso ordinario locis piis applicanda. Quibus poenis subjacent talia pacta inita intra sex menses a die receptae per resignatoriam beneficii possessionis.

Specialis simonia est, quae *Confidentialis* appellatur, jure canonico interdicta, multisque constitutionibus prohibetur distinctis etiam poenalibus sanctionibus, quae datur, ubi quis alteri procuret beneficium, nempe conferendo, eligendo, praesentando, vel in ejus favorem resignando etc. cum *confidentia*, id est, non cum spe et fiducia, sed cum pacto expresso, vel tacito, ut idem beneficinm post aliquod tempus ceda-

(1) *Sess. 25. c. 2. de Reform*
(2) *L. 8. c. de transact.*
(3) *Const. in sublimi t. 1. Bullar. num. 50.*

tur, conferatur, etc. procuranti, vel alteri (1), quod triplici modo potissimum contingit 1.° cum reservatione *accessus* scilicet cum pacto, ut is cui procuratur, ex post facto idem beneficium resignet iterum procuranti, vel alteri, qui hic, et nunc propter impedimentum ex. gr. *aetatis* non est illius capax, et sublatò impedimento pateat ipsi liber accessus ad beneficium propria auctoritate; 2.° cum reservatione *ingressus*, id est quando quis obtinuit beneficium, necdum tamen possessionem, et illud cedit alteri cum pacto, ut post cessionarii mortem, vel resignationem idem beneficium ingredi, ejusque possessionem capere possit; 3.° cum reservatione *regressus*, quando quis beneficium a se jam possessum cedit alteri eo pacto, ut sibi, vel alteri post cessionarii mortem, vel resignationem liceat ad illud regredi, vel recuperare (a).

CONCLUSIO QUINTA

Quoad ingressum in religionem simonia exponitur.

Simoniacum esse aliquid dare, et accipere pro ingressu monasterii docet S. Thom. (2) ex c. *quam pio* q. 2. esset enim vendere statum religiosum, cujus finis supernaturalis, et perfectio caritatis est; hinc jure na-

---

(a) Reservare sibi pensionem, vel alteri solvendam non potest is, qui beneficium confert, vel renuntiat, vel alteri procurat; id enim simonia esset juris naturalis; nam haec pensio consistens praecise in fructibus reservatis est aliquid temporale juxta DD. Quod si ex justa causa, et auctoritate Episcopi statuta sit, vel reservata, ab hac labe simoniae est immunis ex c. 21. *de praeb.*

(1) *Confer Trid. sess. 25. cap. 7. de Reform.*

(2) *2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.*

turali prohibitum, et divino (1); subdit tamen idem S. Doctor non esse simoniam, si qui eleemosynas Monasterio eroget, ut facilius ex gratitudine admittatur; vel donis inflectat religiosos ad ingressum in Monasterium (a). Attamen titulo sustentationis aliquid accipere, vel etiam pacisci licitum esse, si monasterium sit inops, et regula ordinis non repugnet, patet ex communi cum S. Thoma, et Suarez per Trid. (2), suffragante communi praxi; tali casu enim temporale pro temporali exigitur; quando enim non habet monasterium bona sufficientia ad aliorum commodam sustentationem, ait Trident. (3): *In temporalibus monasteriorum facultatibus eam ineundam esse rationem, ut monialium numerus commode sustentetur*, tunc nihil vendit spirituale, cum recipiendus non habiturus sit jus ad bona, quae ipsum monasterium non habet.

Quid vero si monasterium sit opulentum? licetne pro sustentatione ingressuri aliquid accipere?

(a) Extravag. Comm. *Sane* **1.** *de sim.* sic cautum: « Universis » Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Abbatissis, et Priorissis, » aliisque praelatis quovis nomine nuncupatis, et eorum officiali- » bus quarumcumque Ecclesiarum, monasteriorum, domorum, lo- » corum...... ac capitulis, et conventibus, et singularibus perso- » nis inhibemus, ne tam a maribus, quam a mulieribus volenti- » bus ingredi eorum religionem, Ecclesias, monasteria, domos, » seu loca in earundem personarum acceptione, aut ante, aut » post quoscumque pastus, prandia, pecunias, jocalia, aut res » alias, etiam ad usum ecclesiasticum, seu pium deputata dire- » cte, vel indirecte, *petere* vel exigere quocumque modo praesu- » mant........ illa dumtaxat quae ipsae personae ingredientes pu- » re et sponte, ex plena liberalitate, omni passione cessante of- » ferre voluerint, cum gratiarum actione licite recepturi ».

(1) *C. 8. 9. 25. et Extrav. 1. inter comm. de sim.*

(2) *Sess. XXV. de regular.*

(3) *Cit. sess. cap. 3.*

quamvis non pauci sint, qui affirmant, nobis sententia arridet negativa, quam tenet S. Thom. (1), quem plurimi sequuntur, et praesertim Sanctus Ligorius; nam sustentatio est adnexa professioni, et statui regulari perinde ut annexi sunt reditus beneficio, vel sacro officio, et quae persona admittitur ad professionem, eo ipso admittitur ad jus exigendi sustentationem. Hanc vero sustentationem non abnuimus dicere aliquid temporale, sed negari nequit esse quid consequenter adnexum ad spirituale; quapropter sicut non potest vendi jus ad reditus beneficii, vel ad decimas percipiendas, ita nec jus ad alimenta in monasteriis. Consuetudo autem contraria, ad quam adpellant adversarii, et de qua citatus S. Ligorius ibidem valde dubitat, ex eodem frustra affertur, cum agitur de simonia juris divini (a). Excipiuntur tamen 1.° monasteria monialium, quibus Clemens VIII, ut monet ipse S. Ligorius, ex relatione Navar. Lessii, Bonac. aliorumque indulsit posse pacisci de dote recipiendarum pro earum sustentatione, modo non recipiant inhabilem praecise ex intentione consequendi temporalia, et re-

(a) Contra sunt, qui dicunt juris ecclesiastici committi simoniam, si monasterium sit dives, et tamen ab ingressuris aliquid per pactum exigat, vel accipiat *titulo sustentationis*, quia ajunt sic solum temporale venit in contractum, vel pactum pro temporali, id est, pro sumptibus in sustentationem necessariis. Addunt proin derogatum huic juri consuetudine contraria, sed rationabili ob id quod hoc pacto plures possunt recipi, ac bona in fundationes monasteriorum adsignata, quae variis casibus, et periculis sunt exposita, securius conservantur, vel forte resarciuntur. Insuper avaritia coercetur et invidia parentum; et consanguineorum, qui liberis (quasi illigitimi forent) aut consanguineis religionem ingredientibus nihil darent, ne legitimam quidem.

(1) *Quaest. 100. 2. 2. art. 3.*

cte; nam, ut observat Bened. XIV (1), experientia compertum est nullum reperiri adeo opulentum monasterium sanctimonialium, quod ad reparanda quotidiana suorum redituum decrementa non egeat novarum dotationum accessione; hinc fere ubique receptum, ut a monialibus, quae recipiuntur, exigantur tum impensae necessariae pro ingressu, tum dotatio competens (a). At consulto monet laud. Pontifex resecandas esse expensas, quae fiunt in ingressu monialium propter sumptuosos apparatus, convivia etc.

Excipitur insuper, si recipiendus sit infirmus, senex, hebes ingenio etc. ob servitutem his necessariam et ob incommodum temporale, et extraordinarium, quod pro ipsis est monasterium subiturum ex Divo Thom. (2) cum communi DD. Demum absque ullo dubio possunt ea recipi, quae spectant ad expensas Novitiorum ex Trid. (3).

(a) Observare non praetermittimus cum DD. facile et forsan saepius contingere, ut dum vitetur simonia, turpis labes avaritiae a Monasteriis contrahatur, si adeo sordide inhient temporalibus, et ab ingressuris tum sollicite dotes paciscantur magis ad pecunias, quam ad personarum habilitatem attenta, nec facile recipiant pauperes, quae magnam afferre dotem non possunt. Proh Deus! quam multae bonae pauperculae quotidie ob id clamitant, conqueruntur dicentes se esse paratas ad religionis, et vitae regularis ingressum, sed non posse locum adquirere, eo quod jam ubique temporalia exiguntur!

(1) *De Synod. l. XI. c. 6.*

(2) *2. 2. q. 100. 4.*

(3) *Sess. XXV. de regular. c. 16.*

CONCLUSIO SEXTA

Poenae in simoniacos expenduntur.

Poenae ab Ecclesia latae, quibus in simoniacos animadvertit, non omnes afficiunt, sed tantum eos, qui in ordine, religionis ingressu, et beneficio ecclesiastico simoniae obnoxii sunt reali, necnon simoniae confidentiali; etenim Ss. Canones in istas simoniae species tantum poenas statuunt ipso facto incurrendas (a). Igitur in venditione aliarum rerum nulla incurritur poena ex. gr. in sacramentis distinctis ab ordine, in consecrationibus, benedictionibus, in pensione pendenda, redimenda, aut emenda, ac aliis, quae non veniunt nomine beneficii proprie dicti ex Lessio cum aliis (1) (b).

Atqui in ordinibus simonia realis inducit has poenas: 1.° ordinans incurrit ipso facto excommunicationem Papae reservatam (2); 2.° ipso jure, et facto incurrit suspensionem a collatione quorumcumque ordinum etiam primae tonsurae juxta communem DD. eo quod per eam quis in ordine clericorum constituitur,

(a) Simonia mere mentali nulla juris poena incurritur, et desumitur etiam ex c. ult. *de simon.* Item per simoniam *mere* conventionalem effectu non secuto; nec enim in jure satis expressum habetur, et quia in materia poenali odia sunt restringendo. Accedit praxis Curiae Rom. qua firmatur haec sententia. Quod si non fuerit mere conventionalis, sed ex una perte tantum realiter completa, quamvis sententia aliquorum DD. affirmans sit tutior; negans tamen probabilior habetur ab aliis, inter quos S. Ligorius, qui dicit eam etiam communiorem.

(b) Attamen ubi inter casus reservatos simonia generice numeratur, cujuscumque simoniae actus censetur reservatus.

(1) *L. 2. cap. 35. num. 130.* (2) *Extrav. 2. de simon.*

et ab omnium munerum pontificalium executione (1); 3.° interdicitur ab ingressu ecclesiae; 4.° et si violatio erit per exercitium ordinis sacri, incurrit etiam irregularitatem; 5.° non potest absolvi nisi a Summo Pontifice, etiamsi delictum sit occultum. Ordinatus autem propria culpa simoniace, 1.° excommunicationem subiit Papae reservatam; 2.° suspensus est ab executione suorum ordinum, et spe privatur ascendendi ad ordines majores; de illis vero, quos antea susceperat, sunt, qui affirmant esse suspensum, sunt qui negant DD. 3.° si praesumpserit in illa suspensione ministrare, fit irregularis (a): 4.° privatur omnibus beneficiis, et officiis, et inhabilis fit ad ea; Regularis vero privatur voce activa, et passiva.

Ob simoniam realem circa ingressum religionis certum est juxta canones (2) quod dantes quid, et accipientes ipso facto in excommunicationem offendunt papalem praevio scilicet pacto, sive directe sive indirecte ex. gr. per prandium, vel aliud pro monachorum usu, aut monialium, vel in favorem monasterii erogatum. Professionem tamen etiam simoniace factam nullus dicit nullam, quod et S. Th. docet (3). Porro Collegium, aut monasterium monachorum aliquem simo-

---

(a) Ordinatus per simoniam ab alio, se inscio, commissam, non incurrit hanc suspensionem, et fortassis etiam si post ordinationem illam sciens probet: quamvis enim peccet, in susceptione tamen ordinum non commisit simoniam. Insuper notandum quod ut haec poena suspensionis incurratur, opus est, ut simonia sit completa. Eam non incurrunt mediatores, et procuratores, sicut in excommunicationem incurrunt. Nec ipsa suspendit ab officio, et beneficii fructibus. Attamen erit perpetua.

(1) *Cap. 45. eod. et Bulla Xisti V. a Clement. VIII. quoad hoc confirmata.*

(2) *Extrav. 1. inter comm. de simon.*

(3) *Quaest. 109. a 6. ad 5.*

niace recipiens incurrit in suspensionem ab officiis capitularibus etiam Papae reservatam, et ab omni actu jurisdictionis (1). Utraque pars incurrit infamiam juris, proindeque irregularitatem. Superior, aliique majores monasterii suspendendi sunt, et in strictius detrudendi monasterium (a).

Quoad simoniam realem in beneficiis, ille, qui beneficium alteri per simoniam confert, vel procurat eligendo, praesentando, instituendo, confirmando etc. est ipso facto excommunicatus, simul et mediatores, et procuratores (2) (b). Ille vero, qui ita simoniace promotus ad beneficium fuit, est 1.° ipso facto excommunicatus (3); 2.° omnis collatio, et provisio hujusmodi est nulla, nullumque jus tribuit, ita ut nullatenus sic provisus faciat fructus suos, sed ad restitutionem teneatur (c); 3.° simoniace promotus ad idem benefi-

(a) Observandum quod illam non incurrant, nisi praesumentes; hinc ignorantes etiam culpabiliter excusantur. Utrum vero in simplici ingressu, an in professione incurratur, lis est inter DD. Suarez simoniam putat committi in ingressu l. *de sim.* c. 56. n. 7. sed alii tenent oppositum, quorum sententiam valde probabilem dicit S. Ligorius antea citatus, et addit cum Less. et aliis extravagantem notatam, saltem quoad hanc excommunicationem, non esse usu receptam.

(b) Sub hoc nomine veniunt etiam **Abbatia, Prioratus, Rectoratus, Provincialatus, Generalatus**, quae sunt beneficia regularia **Less. n. 137. l. 2. c. 35.** Quam sententiam veriorem dicit S. Ligorius, quam aliorum qui negant. Hinc non excusari possunt a labe simoniae Electores illi, qui eligunt aliquem in Generalem etc. cum pacto ut ipsi postea eligantur Deffinitores etc. qui habent verum officium.

(c) Idque etiam si fiat a tertia persona, et taliter provisus id ignoraverit ut ex c. *Nobis fuit de simon.* Nisi tamen contradixerit ex

(1) *Cit. Extrav. 1.*

(2) *Extrav. 2. inter comm. eod.*

(3) *Cit. extrav. 2.*

cium obtinendum fit inhabilis (1), nec ei prodest regula Cancellariae, sicut nec intrusis. Aliis vero beneficiis jure ipso non privatur, nec ad alia obtinenda fit inhabilis ante sententiam judicis. Ita Suarez (2).

Pius IV const. *Romanum*, et Pius V const. *intolerabilis* peculiaria quaedam contra simoniam confidentialem statuerunt et quoad procedendi formam, (etsi iisdem casibus simul committatur simonia juris communis), et quoad poenas speciales. Igitur dummodo opere impleta haec fuerit ita, ut hoc beneficium ab uno datum, ab altero exceptum sit (quamvis non ex utraque parte sit impleta, ut vicissim suam promissionem, vel pensionem solverit) in eam fere eaedem poenae statutae sunt ac in simoniam realem in beneficiis, cum hoc discrimine, quod 1.° si Episcopus, aut Praelatus eo superior sit reus, non incurrat excommunicationem, sed interdictum ab ingressu in Ecclesiam; quod 2.° inhabilitas ad alia beneficia, et privatio prius habitorum incurrantur ipso facto, licet opus sit sententia decla-

---

c. 33. eod. id est si contra prohibitionem provisi aliquis illo penitus ignorante aliquid promisit, et exolvit; vel nisi a tertio data fuerit pecunia per fraudem, ut redderetur inhabilis; vel nisi bona fide possederit beneficium per triennium, ut communiter docent DD. Insuper si quis sine simonia legitime esset electus, vel praesentatus, sed simoniam commiserit postea pro confirmatione vel institutione juxta Lessium loc. cit. n. 138. talis electio vel praesentatio probabilius esset valida, quia id in jure non est expressum, licet si praesentatio, vel electio propter simoniam esset irrita, etiam confirmatio, aut institutio sine simonia impetratae essent nullae; nam vano, et irrito fundamento niterentur. Denique S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 6. valde probabiliter docet ex S. Ligorio non esse restituendos fructus perceptos intuitu stolae, et aliarum functionum Parochialium ex. gr. exequiarum, administrationum Sacramentorum etc. quia fructus isti dantur. ut stipendia officii.

(1) *Cap. 27. eod.* (2) *Cap. 54. num. 7.*

ratoria criminis; quod 3.° beneficiorum per confidentiam resignatorum, vel collatorum reservatio inducatur Sedi Apostolicae: et fructus Camerae Apostolicae sunt applicandi (a). Cetera crimina hic missa facimus, lectoremque ad Theologos morales remittimus (b).

(a) Quoad fructuum restitutionem in beneficiis observandum, quod fit vel successori, ubi id consuetudo patitur, vel Camerae Apostolicae, ubi adhuc usus esset spolii; aut potius Ecclesiae beneficii, et ejus loci pauperibus facienda est. Insuper quod privatio omnium beneficiorum, et inhabilitas ad beneficia praecipue tribus in casibus incurratur, sed primum post sententiam judicis: 1.° in confidentiali simonia opere impleto, uti dictum fuit; 2.° in simonia commissa in electione Papae juxta Concil. Lateran. sub Julio II sess. 5. 3.° in simonia, quae committitur, quando examinatores ad Paroecias aliquid ab examinandis occasione examinis accipiunt. Trid. sess. XXIV. c. 18. *de reform.*

(b) Non tamen poenas in delicta, quae contra catholicae religionis obsequium patrantur, a codice novissimo statutas duximus omittendas, hasque ipsis codicis criminalis l. 2. tit. 1. vel diplomatum verbis exscribemus:

» Chiunque nell'empio fine di far onta alla religione cattolica apostolica romana incendia o distrugge un tempio al culto divino consacrato, sarà punito colla morte e col primo grado di pubblico esempio ».

» Chiunque nello stesso empio fine incendia, disperge o distrugge il corpo santissimo di Gesù Cristo, sarà punito di morte col laccio sulle forche, e col quarto grado di pubblico esempio ».

» Chiunque nell'atto che vengono celebrati i divini misteri, gli disturbi con violenza, e nel fine di profanare le sacre funzioni, sarà punito col primo al secondo grado de' ferri ».

» Chiunque in eseguire il misfatto preveduto nel precedente articolo sospinto dallo stesso empio fine, apporta in persona di un ministro del santuario una ferita degna per se stessa di pena criminale, sarà punito col grado di pena immediatamente superiore, e col *maximum* del tempo. In caso di omicidio sarà punito colla morte ».

» Chiunque nello stesso empio fine dentro i tempj medesimi, o ne' loro vestiboli, calpesta o distrugge vasi sacri, o sacre immagini; o violentemente le percuote, o le infrange sarà punito col secondo al terzo grado de' ferri ».

CAPUT V.

DE POENIS IN GENERE.

Foro ecclesiastico esse jus infligendarum poenarum sontibus, atque delictis obnoxiis ex Evangelio eruitur, in quo legimus claves a Christo concessas Pe-

---

» Chiunque per solo fine di lucro involi da'tempj vasi o suppellettili sacre, o qualunque altro oggetto al culto divino consegrato, sarà punito col secondo grado de'ferri, escluso il *minimum* del tempo ».

» Il furto preveduto dell' articolo precedente, se sia commesso con altre circostanze che la legge prevede come aggravanti, verrà punito col terzo grado de' ferri; purchè le stesse circostanze non portino a pene maggiori, le quali saranno in questo caso applicate ».

» Chiunque insegnando, predicando, o in qualunque modo aringando in luoghi pubblici, proferisca, senza empio fine o dolo alcuno, proposizioni contrarie alla religione cattolica, sarà punito colla pubblica riprensione, e della interdizione temporanea di uno a due anni dalla carica o professione, della quale ha abusato ».

» Se poi vi concorre l'empio fino di distruggere o alterare i dogmi della religione, sarà punito coll'esilio perpetuo dal regno ».

» Fuori de' casi preveduti in questo titolo, i reati commessi in persona de' ministri del santuario per vendetta, ed in atto delle loro funzioni, sono puniti con un grado di più della pena ordinaria ».

» Ogni altro reato non preveduto in questo titolo se vien commesso nelle pubbliche Chiese in atto di sagre funzioni, non sarà mai punito col minimo del tempo del grado ».

Ex decreto 7 Mai 1821.

» Art. 10. Chiunque involi la sacra pisside, o l'ostiario colle ostie consacrate, sarà punito colla morte naturale sulle forche. Quando poi tale involamento succeda senza le ostie consacrate, il colpevole avrà la pena dell' ergastolo a vita ».

» Art. 12. Ogni atto scandaloso, che turbi, o impedisca, o offenda il libero, o tranquillo esercizio del culto divino nelle Chie-

tro (1), quibus solveret et ligaret, et in delinquentes animadverteret (2); quod et ipsum regimen Ecclesiae exigit; aliter omni coactione destitutum nullum esset, et inane. Denique id ab ipsa traditione comprobatum fuit, qua certo scitur poenis corporis afflictivis, fustigationibus, carceribus, exilio, et similibus usam esse Ecclesiam, ante etiam quam Isidorianae Decretales apparuerint, ne dicas cum Van-Espenio, Cavallario, aliisque harum occasione et favore ortum habuisse suum istud jus, et praxim in ea.

Revera a primordiis Ecclesiae cum quaquaversus turpissima pullularunt flagitia, haereses, schismata, apostatarum lapsus, tum canones fuerunt constituti, quibus jurisprudentia criminalis viguit, gladius et ecclesiasticae disciplinae nervus, censurarum nempe usus obtinuit, sub quo nomine omnes poenae ecclesiasticae usurpatae fuerunt (a); his vero poenis triplici generi

---

se, o luoghi pubblici sarà punito col 1.° al 2.° grado de' ferri ». Ex decreto 5. Junii 1827.

» Art. 1. La bestemmia, o sia l'*empia* esecrazione del nome di Dio, e de' Santi, profferita in chiese aperte al pubblico culto, o in altri luoghi nell' atto di sacre o pubbliche funzioni, sarà punita colla reclusione. Senza tali circostanze, la bestemmia in luogo pubblico, sarà punita colla relegazione ».

» Art. 2. La bestemmia si reputa pronunziata in luogo pubblico, allorchè è profferita nelle strade pubbliche, nelle piazze pubbliche, ne' caffè, nelle osterie, nelle bettole, nelle cantine, nei bigliardi, nelle spezierie, ed in altri luoghi di abituali riunioni aperti nelle strade pubbliche, o nelle pubbliche piazze ».

(a) Nullum discrimen inter censuras, et poenam antiquitus agnoscebatur non sensu quidem Van-Espenii, ipsius de Marca, Cavallarii, et Selvagii, qui forum externum primordiis Ecclesiae ei deesse autumant, et consequenter poenis tantum spiritualibus usam fuisse, quod in ipso hujus libri ingressu jam discussum fuit.

(1) *Matth. 17. v. 15. et seqq.*

(2) *Ex l. 131. ff. de V. S.*

mali in delictis existentis, contagio scilicet pravi exempli, corruptioni ipsius delinquentis, et contemptui legum, triplicis generis remedia comparata sunt, illa nimirum quibus mali exempli contagio, corruptio delinquentis, contemptus, et contumacia impediantur, sanantur, vindicantur; etenim praeterquamquod poenae legibus cultum promovent, laesisque partibus honorem, emendationum per sese delinquentium intendunt: *quicumque stultus est in culpa, erit sapiens in poena*, dixit S. Gregor. (1). Denique peccantes illis non raro resipiscunt, discuntque scelera formidare; Apostolo testante: *peccatores coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant* (2).

In hoc capite tantum de poenis in genere dicemus, acturi de poenis in specie postquam de censuris tum in genere, tum in specie fuerit pertractatum.

---

et valet contra Pfaffium, Bohemerum, aliosque hujus furfuris hostes Ecclesiae, qui inepte addunt ex pactis, et conventis christianorum leges poenales temporales, et corporales esse; sed promiscue antiquitus nomen poenae, et censurae usurpatum a PP. quin excluderent poenas corporales, ut est videre praesertim apud Tertull. Apolog. advers. gentes c. 39. et Cyprian. epist. 55. ad Cornel.

Quod si posterioribus saeculis distincta fuit notio censurae a notione poenae, congruenter id fuit, et adoptatum nomen fuit censurae ad significandam privationem ecclesiasticae communionis, qua sive omnibus prorsus christiani hominis juribus, sive partim expoliaretur; nam norunt eruditi *censuram* apud Quirites notam fuisse censoriam, seu poenam quamdam, qua vitia publicis legibus non interdicta, per censorem coercebantur. Ea autem erat privatio quaedam dignitatis, qua Senator movebatur Senatu, eques adempto publico equo ad plebem amandabatur, et plebejus tribu movebatur, ex honestiore scilicet in minus honestam rejiciebatur, vel aerarius fiebat, et in Caeritum tabulas referebatur;

(1) *In c. qui ea 10. dist. 38.*
(2) *1. ad Timoth. c. 5. v. 20.*

CONCLUSIO UNICA

Quid poena, ejusque species exponuntur.

Poena conformiter legibus definitur: vindicta crimini proportionata, seu supplicium justum, quo quis per delictum afficitur (a). Dividitur in *legalem*, quae a lege; *judicialem*, quae a jure, et *conventionalem*, quae a partium conventione in resilientem a contractu determinatur. Legalis subdividitur in *civilem*, quae principaliter tendit in privatum commodum civiliter agentis super delicto; et *criminalem*, quae ad vindictam publicam principaliter tendit, et reipublicae laesae satisfacit (b). Adhaec alia dicitur *positiva*, cujus executio requirit aliquam actionem sive ipsius delinquentis, uti exilium, multa pecuniaria; vel alterius uti verberatio, in carceres conjectio; alia *privativa*, quae aliqua re privat, vel jure sine interventu actionis, uti censurae inhabilitates, irregularitates, et irritationes poenales. Insuper *spiritualis* est altera, altera *temporalis*: illa malum infligit spirituale, uti censura, haec malum temporale, uti infamia: alia *realis*, quae in odium personae rebus imponitur, uti privatio beneficii; alia *personalis*, quae tantum personam afficit, uti in carcerem conjectio. *Mixta* alia, quae tam rem, quam

---

quae poena longe aliis gravior non in plebejos modo, sed et in equites, et in senatores non raro irrogabatur.

(a) Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus ex Reg. I. 23. in 6. At in crimine laesae majestatis, et aliis nonnullis casibus si quae fuerunt leges, ex quibus filii etiam, et alii innocentes castigati fuerunt, id in detestationem criminis paterni fuit, vel ad terrorem aliorum.

(b) Practici civilem poenam dicunt, quae non est directe corporis afflictiva, criminalem, quae corpus affligit.

personam afficit, uti relegatio: adhaec aut *a jure* lata est, quae scilicet a stabili lege contra delinquentes imponitur, aut *ab homine*, quae per sententiam judicis ecclesiastici infligitur. Demum vel *latae sententiae* sunt poenae, vel *ferendae sententiae*, prout vel post sententiam judicis condemnatoriam, vel ipso facto incurruntur. Hoc tamen nec contra Apostoli dictum: *Haereticum hominem post unam, et secundam monitionem devita*, jus distinguit (1). Ille enim et scripsit de haereticis (2): *Hi sunt, qui segregant semetipsos*. Ex PP. vero priorum saeculorum ipso facto etiam excisos ab Ecclesiae unitate, et communione lapsos fideles christianam fidem abjurando constat, de quibus et in canonibus Apostolorum, et in Conciliis plura statuta habentur (3). Hinc patet quam immerito Ayala carpit latae sententiae poenas, quod sine monitione infligantur. Nam, ut advertit Bened. XIV (4), promulgatio legis aliquid imperantis, vel prohibentis habet vim canonicae monitionis; praeterquamquod ex usu, et stylo Curiarum Ecclesiae reos in censuras ipso facto prolapsos patet citari quidem, et moneri ad dicendam causam quare declarari non debeant in eas incidisse, atque rite audiri in suis defensionibus. Hinc lex promulgata in foro externo praemittit monitiones (a).

(a) Ferendae sententiae poenam igitur post sententiam judicis reus rite convictus incurrit vel confessus, vel contumax in utroque foro: *latae sententiae poenam* quamvis oporteat in foro externo etiam rite declarari reo, et quidem audito in suis defensionibus: ipse tamen si quando contigerit, ut externum judicem fallat,

(1) *Ad Tit. c. 3. v. 10. et 11.*
(2) *Ad Galatas c. 1. v. 8.*
(3) *Confer Gagliardo Inst. I. C. l. 4. tit. 18. §. 8.*
(4) *L. 7. de S. D. c. 45. num. 9.*

humanamque sententiam evadat, se amotum solo ministerio legis jam intrinsecus damnatum, et perculsum sentiat. At communis cum Sanchez monet hoc intelligi regulariter de poena *latae sententiae* positiva, ad cujus executionem scilicet requiritur alia actio, uti dictum fuit, vel ipsius delinquentis, vel alterius, imo et de privativa, cum privat aliquo jure jam acquisito. Etenim nullum jus est quod obligat poenam subire ante judicis sententiam; atque nimis difficile quod aliquis in seipsum poenam exequatur; vel ab alio petat sibi infligi ex. gr. privationem beneficii. Verum excipiuntur inhabilitates, nullitates, et impedimenta matrimoniorum, provisionum beneficiorum etc. quae privant non jure jam quaesito, sed primum quaerendo. De poena conventionali tenent aliqui DD. quod nec solvenda ante sententiam judicis, quia nisi paciscentes claris et conceptis verbis se obligent ad poenam ante sententiam, censentur apposuisse poenam juxta naturam juris communis, ex quo in conscientia poenae non debentur ante sententiam. Nec valet dicere, quod inde sequitur frustra a legibus poenalibus poni clausas *ipso jure*, *ipso facto*; nam habent quidem sequentes notabiles effectus 1.° sententia non opus est, ut sit condemnatoria, sed declaratoria; 2.° fructus percepti a die criminis post hujus declarationem restituendi sunt; 3.° actus, quos gessit reus delicti post diem commissi criminis, fuerunt tantum revocabiliter validi et irritandi, uti sunt actus Praelati post diem malae alienationis; 4.° Dominium rei, quo lex privat ipso jure ex. gr. statuens privationem beneficii, amittitur quidem statim, at non ipse usus et retentio rei, nisi ubi feratur sententia declaratoria, et tunc retrotrahitur privatio ad diem commissi criminis.

CAPUT VI.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS.

CONCLUSIO PRIMA

Quid censura, quodnam subjectum ejus passivum, quae sit ejus forma, exponitur.

Poenae ad vindictam, et punitionem criminum feruntur; at censurae ad emendationem, et medicinam; unde facile erit, in quo differant, cognoscere. Censura vero est poena spiritualis, et medicinalis, qua homini baptizato delinquenti, et contumaci per potestatem Ecclesiasticam aufertur usus quorumdam bonorum spiritualium (a). Equidem nonnisi christianus subditus Ecclesiae ejusdem clavibus subjacet (b), qui

(a) *Spiritualis poena*: quia hominem privat bonis spiritualibus ex. gr. sacrificio, officio divino, indulgentiis etc., quae salutem spectant animarum, quod se habet in definitione allata per modum generis; convenit enim cum aliis poenis spiritualibus depositione scilicet, cessatione a divinis etc. *Medicinalis*: praecipua nota ejusdem est et ipsam distinguit a poenis vindicativis, aliisque impedimentis; ex fine enim suo intendit emendationem et correctionem, qua obtenta tolli debet; notatur igitur censura quis, ut contumaciam ponat, eaque posita legibus Ecclesiae atque praeceptis satisfaciens absolvatur. Unde nec delictum mere praeteritum est objectum ejus, nec ad certum tempus ferri censura potest, quia nec per se delictum praeteritum censura respicit, nec tempus determinatum habetur poenitentiae, quam intendit. Quod si quis in censura insordescat, per annum scilicet in ea perseveret, ex Trid. sess. XXV. c. 3. *de Reform.* fit etiam suspectus de haeresi, et gravioribus coercendus poenis est.

(b) Inde mortuos si quando excommunicatio percutit can. fin. 24. *de sent. excomm.* non aliud significat nisi quod ea irretiti mortui sint, nec pro iis ecclesiastica officia sint obeunda. Item et ab-

delinquens, et contumax sit, oportet, ut censuris plectatur; proinde peccatum requiritur, et quidem mortale (excepta excommunicatione minori) alioquin poena non esset culpae proportionata, imo nec quodlibet mortale, ne censurae contemnantur, ut Trid. monet. Praeterea externum, et mortale sit, oportet, etiam quoad substantiam operis externi; nisi actus interior praeceptus, aut vetitus necessario cum exteriori conjunctus mortalis sit, ut evenit in simoniaco mentali, qui ex pravo interiori animo largitur pecuniam (1). Cum autem contumaciam supponat, necesse est, ut adsit contemptus seu potestatis, seu legis ecclesiasticae formalis vel virtuali conjunctus; etenim hoc puniri intenditur censura. Propterea monitio aliqua praecedat, oportet, vel implicita, vel explicita: hinc sic distinguenda forma hujus: si a jure sit lata censura, quia naturam legis habet, in ipsa promulgatione legis constituitur implicita monitio, quae tamen ad notitiam pervenerit ejus, qui per cen-

---

solutio post mortem vivos idoneos reddit ad divina peragenda pro mortuis, qui poenitentes obierint. Nec peregrinus incurrit censuram specialiter latam pro subditis loci, quia non est subditus, excipe si per delictum factus sit subditus. Quod si censura lata sit per statutum, vel legem generalem in subditos certum delictum intra territorium committentes et talis subditus hujus ex. gr. Episcopi committat illud non intra territorium, non incurrit censuram, vel si etiam intra territorium committat, sed patrato delicto mox aufugit, et censura sit ferendae sententiae, nec in ipsum per sententiam ferri potest censura, quia jus dicenti extra territorium impune non paretur c. 2. *de const.* in 6. E contra lata censura per specialem sententiam in aliquem, si delictum committat, vel compleatur in territorio, licet delinquens existat extra territorium ex. gr. si excommunicatio esset lata in absentes ultra tres menses a suis beneficiis, vel si quis sub poena excommunicationis citatus in judicium, tamen contumaciter non apparet, talis, etsi extra territorium existens, incurreret censuram.

(1) *Confer S. Ligorium l. VII. de censuris c.* 1. *D.* 6. *n.* 34.

suram adstringi dicitur. Secus nulla contumacia intelligitur, nisi minas legis sub censura obligantis noverit. Si ab homine feratur, quae sic formam sententíae habet judicialis, ei praemittenda monitio et quidem explicite, et regulariter trina cum competente intervallo, nisi urgens necessitas minus exigat (1), nam nisi quis monitus non obedíat, contumax dici non potest. Quod ipsum etiam requiritur, saltem ut licite fiat, si judex aliquem vult denuntiare, tamquam a censura ligatum ipso jure lata, nisi crimen notorium sit ex DD. (a).

CONCLUSIO SECUNDA

Subjectum activum censurae distinguitur, a quonam absolutio dari possit, et quaenam sit forma ejusdem, enucleatur.

Divinitus esse concessam iis, qui Ecclesiae praesunt, potestatem ferendi censuras nullus erit, qui neget, nisi qui Richerium sequentes censuras explodere, vel potestatem eas ferendi coarctare nituntur (b). Omnes enim catholici, qui recte clavium potestatem

(a) Ad justitiam censurae, non ad valorem requiritur etiam, ut citatio fiat in scriptis continens causam, propter quam illa intentatur, uti et ipsa sententia cum expressione causae c. 48. cit.

Demum ad formam censurae referri debet 1.° *Declaratio* judicis pro casu quo quis censuram latae sententiae incurrit; 2.° *Publica denuntiatio*, ob quam demum fit, ut censuratus ab aliis vitari debeat, nisi sit notorius percussor clerici; 3.° *Solemnitates*, quae aliquando ad terrorem adhibentur in infligendo anathemate.

(b) Hinc merito damnata fuit propositio *Quesnelli* 90.: *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores de consensu saltem praesumpto totius corporis.*

(1) *Cap. 48. de sentent. excomm.*

a Christo Petro datam comprehendunt, unó ore profitentur, quod censuram ab ea descendentem ferre possunt omnes et soli superiores ecclesiastici, etiam Regulares, qui jurisdictionem in foro externo et contentioso ordinariam et delegatam habent. Ex quo facile erit colligere, quod Rom. Pontifex hac potitur potestate in universam Ecclesiam, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi in sua dioecesi respectu suorum subditorum (1), (idem dicendum de Vicario Episcopi, quippe qui unum constituit tribunal cum Episcopo, de Vicario Capituli, et de Capituluo ipso, Sede vacante (2),) Cardinales in Ecclesiis sui tituli (3), Legati a latere in provincia suae legationis (4), Concilia generalia per totam Ecclesiam; Provincialia per provinciam suam, Generales, Provinciales, Priores, Rectores, aliique Superiores locales, respectu suorum subditorum, vel ii, quibus praedicti per delegationem eam potestatem commiserint, qui saltem prima tonsura initiati sint, oportet. Hinc Parochis, nisi delegetur, per se non competit eadem potestas ferendi censuras; deest namque iis potestas in foro externo et contentioso (a).

(a) Nos non praeterit ab Honorio III in cap. *dilecta* 12. ex *de M.* et *O.* praeceptum Abatissae cuipiam, ut canonicas et suos clericos, ejus monita et mandata detractantes *per censuras ecclesiasticas* compelleret; item quod Impp. in Cod. Theod. et Justin. videntur excommunicationem inferre per verbum *anathematizamus* ut in l. *quum Salvatorem* 4. l. *cognoscere* 5. et alibi. Sed facile erit observare 1.° quod cit. cap. nunquam foeminao data sit potestas ferendi censuram, sed jurisdictio, qua posset sibi subjectos a beneficio et officio suspendere non suspensione proprie tali, quae est censura, sed praecise prohibere; etsi non desunt DD. qui tenent Pontificem posse absolute etiam laicos, et

(1) *Cap. 1. 16. de offic. ord.*
(2) *Arg. c. un. de Majorit. in 6.*
(3) *Cap. 7. de offic. deleg.* (4) *Cap. 2. de M. et O.*

Censuram per sententiam specialem ab homine latam ordinarie is absolvere potest, qui eam tulit, aut ejus successor, vel illius superior, nisi lege, vel consuetudine prohibeatur, vel denique ad id delegatus (a) (1). A censura autem lata a jure, vel etiam ab homine per sententiam generalem quippe quae legem imitatur, si non sit reservata, potest absolvere omnis, qui potest absolvere a mortalibus, sed solum pro foro interno (2), quoniam nihil obstat, quominus judex fori externi contra delinquentem procedat, etsi procedere non teneatur. Est enim forum alterum ab altero separatum et acta in uno non praejudicant actis in altero: si vero sit reservata, per se auctor legis, vel ejus successor, aut delegatus absolvere ab ea potest. Quod si Papae sit reservata, sed adhuc occulta, nec ad forum contentiosum, sive externum deducta, Episcopi ipsi, vel per se, vel per Vicarium in foro conscientiae recte absolvunt ab omni censura excepta

---

foeminas ad id habilitare, quia incapaces non sunt jure divino, quod probabilius alii negant. 2.° Non est proprie anathema, sed execratio, ac detestatio quaedam, quam Impp. in haereses et haereticos instituebant renovantes et confirmantes omnia, quae in eosdem Ecclesia declaraverat.

(a) Excipe in articulo mortis; in eo enim quivis Sacerdos a quavis censura potest absolvere, ita tamen, ut cessante morbo, obligatus sit se sistere reservanti tamquam obedientem et mandatum de satisfaciendo (non novam absolutionem) ab eodem suscipere, quo non praestito reincidat in censuram. Adhaec Nuntius Apostolicus non potest absolvere censuratos ab inferioribus Praelatis, nisi causa per appellationem sit ad ipsum devoluta juxta DD. neque Archiepiscopus subditos suffraganeorum, nisi actu visitet, aut censurati ad ipsum appellent, aut inferiores ipsi Episcopi malitiose negent subditis suis absolutionem c. 9. v. 16. *de praescript.* et c. 5. et 7. *de sent. excomm.* in 6.

(1) *Cit. cap. 1. de M. et O.*

(2) *Cap. 25. de sentent. excomm.*

haeresi, a qua per seipsos tantum absolvere possunt vi Trid. (1) (a). Praeterea possunt etiam absolvere a censura Papae reservata in casu necessitatis, et impedimenti, quo Pontifex adiri non potest. Demum a censuris ipsis Papae reservatis vi suorum privilegiorum absolvere possunt Regulares, praesertim Mendicantes (b).

Demum censura absolutione tantum, quae est actus justitiae, quo causa secundum jus terminatur in favorem rei, tollitur (c). Neque satis est, ut reus a

---

(a) Excepto casu, quo haereticus sit impeditus recurrere ad Papam; in hoc enim facultas de jure ordinario spectat ad Episcopos, eo quod adnexa est ipsi episcopali officio, ideoque ipsi possunt etiam generaliter delegare. Confer S. Ligor. lib. 6. cap. 1. num. 90.

(b) Hi ex probabiliori sententia poenitentes etiam seculares a casibus papalibus, exceptis illis, qui speciali indigent facultate, in foro interno possunt absolvere ex privilegio Pauli III Jesuitis concesso ann. 1545. Sicuti etiam a casibus dictis *Nobis* excepta clerici percussione. Confer S. Ligor. Append. *de privil.* n. 100. et seqq. et l. 7. n. 96. et seqq.

(c) Contrarium fuit damnatum ab Alexandro VII ann. 1666 in prop. 44. Forma inde opus est, quae valide fieri potest quolibet signo claro et quidem etiam in absentes, sicut et poena statuitur etiam in absentes, et extra confessionem etiam pro foro interno, nisi quis habeat tantum potestatem absolvendi cum clausula: *auditis confessionibus.* De formula autem praescripta observandum, quod si quis ea non utatur absque necessitate, videtur peccare venialiter. Hinc pro foro externo forma adhibenda in ritualibus praescripta est. Pro interno in usu est: *Ego te absolvo a vinculo excommunicationis etc. quam incurristi propter hanc causam*, ex. gr. haeresim, *et restituo te Sacramentis Ecclesiae, et communioni fidelium* (executioni tuorum ordinum, officiorum, beneficiorum etc. si absolvendus fuit in suspensione) *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Si vero absolutio fit potestate delegata ex. gr. a Pontifice, praemittitur: *Auctoritate omnipotentis Dei, Ss.*

(1) *Sess. XXIV. cap. 6.*

contumacia recedat, Ecclesiae mandatis pareat, parti laesae satisfaciat, nec juramentum de stando mandatis Ecclesiae vim absolutionis habet (1); nec satis est, ut e vivis, vel ab officio decesserit is, qui censuram tulit, aut obierit ipse censuratus, quantumvis contritus (2), sed necessaria est absolutio. Haec autem dari potest vel *absolute*, vel *conditionate*, quod tamen facile fieri non debet, vel ad *cautelam*, uti fit ante sacramentalem absolutionem a peccatis, aut ante electionem praelati, collationem beneficii, privilegii, rescripti, vel ad *effectum*, ut quis gratiam acquirat per rescriptum, quae ab excommunicato acquiri non potest; vel denique ad *reincidentiam*, quae nomen habet ab addita eidem limitatione, ut absolutus, nisi intra certum tempus quidpiam impleverit, gravis inobedientiae reus fiat, et in similem censuram reincidat; fitque reincidentia ipso jure (a).

Nostra heic refert enucleare excommunicationem, suspensionem, et interdictum censurarum species ex Innocentio III, qui interrogatus quid per censuram intelligi debet, dum literis apostolicis inseritur *per censuram procedatis*: respondit, quod *per eam* non solum interdicti, sed et suspensionis, et excommunicationis sententia valeat intelligi (3). Interpetrabimur inde Cessationem a divinis, Depositionem, et

---

Apostolorum Petri et Pauli, et SS. Domini nostri N. N. in hac parte sibi concessa, et mihi commissa absolvo te etc.

(a) Si quis plurium censurarum vinculis innodatus sit, non sufficit, ut ab uno absolvatur c. 27. et 42. *de sent. excomm.* Nec si Papa scienter communicat cum excommunicato, per hoc illum absolvit c. 41. eod.

(1) *Cap. 38. eod.*
(2) *Cap. 28. et 38. eod.*
(3) *Cap. 20. de V. S.*

Degradationem, Infamiam quae, poenis comprehenduntur, denique irregularitatis argumentum, quae nomine canonici impedimenti venit, tractationi de poenis, et censuris finem ponet. Sit itaque

CAPUT VII.

DE EXCOMMUNICATIONE.

CONCLUSIO PRIMA

Natura excommunicationis, et species explicantur.

Omnium censurarum potissima, et gravissima est excommunicatio, a qua velut a fonte quodam interdictum, et suspensio manant (a). Haec non externam communionem tantum adimit, uti post Wicleffum, Hussium, aliosque autumat Basnagius, nec jure humano ad similitudinem censurae Romanorum apud Christianos inducta, ut blaterat Giannonius, sed ex Christi verbis (1), qui praeter *ligandi*, *et solvendi* potestatem, qua excommunicatio comprehenditur, Apostolis traditam, tamquam ethnicum, et publicanum

---

(a) Vi nominis excommunicatio idem est ac ejectio de corpore Ecclesiae, vel participatione sacramentorum, quae dicebatur antiquitus *segregatio*, *abjectio etc.* Excommunicatio ab anathemate tantum differt quod anathema aliquam specialem caeremoniam includit, nimirum uti habetur c. 106. cap. 11. q. 3. praesentibus 12 clericis ardentes lucernas in terram projectas cum maledictionibus conculcantibus. Saepius vero anathema meram excommunicationem significat.

(1) *Matth. 18.*

voluit censeri, qui Ecclesiam non audierit, colligitur (a): idem constat ex Paulo (1), qui Corinthios reprehendens quod incestuosum publice viventem tolerarent, ait: *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit*; insuper et ad Thessalonicenses scribens docuit: *quod si quis non obedit verbo vestro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* Re quidem vera ipse Paulus hanc a Christo potestatem acceptam in praxim deduxit, poena constituta in Corinthium civem, quem sacrorum communione prohibuit, et Satanae tradidit, ut resipisceret (b). Exercuit ergo

(a) Mos erat Hebraeorum ab externae gentis, ac religionis hominum consortio sese abstinere ex Dei praecepto. Exod. 34. 12. 15. 16. ex quo intelligi fas est, quod habere aliquem tanquam ethnicum sit idem ac illum excommunicatum putare, ut omnes docent Patres.

(b) *Omnis Christianus, qui a Sacerdotibus excommunicatur, Satanae traditur: quia extra Ecclesiam Diabolus est, sicuti in Ecclesia Christus.* Ita legitur causa 11. quaest. 3.

Triplicem distinguunt DD. communicationem fidelium: *pure internam*, *pure externam*, *et mediam* seu *mixtam*. Prima consistit in fide, et caritate, per quam fideles inter se, et cum Christo mystico copulantur, ex quo unus fidelis alteri ex congruo impetrare a Deo potest specialia beneficia, ac satisfactiones proprias, si alter capax est, applicare: Secunda communicatio est politica, consistens in fidelium convictu, colloquio, commerciis: Tertia in exterioribus actionibus, ac caeremoniis sita interiorem ac spiritualem fructum ex propria institutione continet. Huc spectat in primis usus activus et passivus ex. gr. Sacramentorum, Ecclesia, suffragia, quae in sacrificio, aliisve officiis publicis pro universa Ecclesia ad Deum fundantur: item satisfactiones Christi, et Ss., quae ex communi Ecclesiae visibili thesauro per indulgentias visibili actione fidelibus justis applicantur. His positis collige quod 1.° communicatione bonorum mere interna nec vult, nec potest Ecclesia quempiam privare; caritate

(1) *1. ad Corinth. v. 2. et 2. ad Thessal. 3. 14.*

hanc potestatem Ecclesia non tantum jure, quod habet ut perfecta republica, sed etiam quia a Christo accepit, ita ut in ejus censura et vis insit, quae reipublicae propria est, et potestas spiritualis, quae animum

---

enim nemo invitus spoliatur, imo ipsam fidem, et spem in excommunicato manere constat. Caritas vero, qua nec spoliat excommunicatio, sed potius supponit jam deperditam peccato mortali, per contritionem ab excommunicato recuperari potest, etiam nondum absoluto; 2.° excommunicatum non privat Ecclesia fructu orationum, et satisfactionum, quas alii fideles proprio nomine, et privata intentione ipsi applicant; non enim spectant ad Ecclesiam, suntque cujusque operantis; hinc etiam pro non toleratis privatim Deum orare quis potest; et quamvis sacrificium Missae, ac aliquod ecclesiasticum officium, quatenus publicum, non liceat pro non toleratis facere, potest tamen pro eisdem et aliis privata intentione Deo offerre actionem sacrificandi, vel horas canonicas recitandi, quatenus est opus proprium operantis, et ea ratione satisfactorium, vel etiam ex congruo impetratorium. Item Sacerdos potest etiam pro iisdem non toleratis orare in *Memento* et offerre sacrificium tamquam persona privata, sicut et alii circumstantes, vel cooperantes privata intentione pro his orare, et sacrificium offerre possunt. Ita DD. inter quos Sotus; 3.° communibus suffragiis et satisfactionibus Ecclesia potest privare, interdicere usu tum activo, tum passivo Sacramentorum et sacrificii, quatenus sunt ministeria publica, ideoque Ecclesiae dispensationi demandata; quamvis illorum vim ac valorem ex Christi institutione pendentem impedire nequeat; 4.° recte Ecclesia ut perfecta respublica, et ad supernaturalem finem ordinata externam societatem impedit, et convictum fidelium, ut inobedientes puniat, ut contagione alios non inficiant, ut illi pudefacti citius resipiscant. Hinc separatio a Christi corpore mystico per excommunicationem intelligitur tantum secundum externam sensibilem communicationem communium spiritualium bonorum ex voluntate Ecclesiae ac dispensatione pendentium, quae supra notavimus, neque solum iis bonis excommunicatio privat, sed eorum communione, idest privat quatenus inter fideles sunt communia. Eoque distinguitur excommunicatio a suspensione, et interdicto, quae licet hominem quibusdam bonis Ecclesiae privant, non tamen privant iis prout

afficiat. *Spiritualis*, ait Augustinus (1), *poena est* anathema (non politica) *qua fit quod scriptum, quae ligaveris in terra, ligata erunt in coelis: animas obligat.* Igitur excommunicatio est censura ecclesiastica privans baptizatum participatione bonorum Ecclesiae, quatenus ea participatio aliquam communicationem cum caeteris Ecclesiae membris induceret (a).

Quoniam vero communio ecclesiastica suos habet gradus, variae quoque species sunt excommunicatio-

---

communibus; suspensio enim privat aliquo ministerio sacro, vel beneficio, non prout haec communionem cum aliis fidelibus important, sed prout propria sunt, aut potestatis ordinis, a quo dimanant, aut personae, a qua possidentur. Sic et interdictum privat usu rei sacrae, ut sacra est, non ut aliis communis est; excommunicatio autem eadem privat, sed ut communis est aliis fidelibus, non ut sacra.

(a) Subjectum igitur excommunicationis sunt *baptizati*, non infideles, tum quia non sunt subditi Ecclesiae, tum quia extra Ecclesiam ejici non possunt, cum nunquam in eam admissi sint. Objectum ejusdem est privatio communionis ecclesiasticae civilis seu politicae atque spiritualis. Censura innodari non potest Communitas, Collegium, aut Universitas pro delictis praeteritis, et quidem *satis* provide, ait Sanctus Thom. 4. dist. 18. quaest. 2. Innocent. III sic statuit *ne collectis zizaniis simul eradicetur et triticum.*; et ne insontes cum sontibus plectantur. Attamen si de crimine omnium membrorum constaret, a Rom. Pontifice non foret illicita, si ferretur; imo et ab Episcopis probabiliter; nulla enim esset ratio timendi, ne innocentes eadem, qua noxii, obruerentur poena. Sicut et probabile videtur excommunicationem latam in communitatem, quorum aliqui innoxii sunt, validam esse tantum pro noxiis. Insuper licet Episcopi, aliique Praelati in nullo casu suspensionis, vel interdicti censuram incurrerent nisi ex Innoc. IV c. 4. *de sent. excomm.* in 6. de ipsis expressa mentio habeatur, tamen aliter se res habet, cum de excommunicatione agitur; hanc enim incurrunt tametsi nominati non sint, cum de hac nihil dixerit laudatus Pontifex.

(1) *Epist. 75. ad Auxilium.*

nis, quae tamen ad duas referri possunt nimirum *majorem*, et *minorem*: illa sic dicta, quia separat generatim a communione Ecclesiae, et de ea intelligendae sunt semper leges, vel sententiae, nisi clare contrarium exprimatur (1): minor dicitur, quae privat tantum receptione sacramentorum, et electione passiva (a) (2), at a Christi corpore non separat, nec praesenti disciplina incurritur, nisi quis communicet cum excommunicato majore, eoque vitando seu non tolerato (3) (b). Sane excommunicati dupliciter considerantur, *vitandi* seu non tolerati, quos reliqui fideles vitare tenentur, ita ut cum ipsis communicare prohibentur, et tales, (quales olim fuerunt omnes) vigente disciplina sunt solum *notorii percussores clerici*, quales sunt, quorum factum non potest ulla tergiversatione celari, nec ullo suffragio excusari (qui incurrunt excommunicationem *canonis*, de qua dictum fuit), *et nominatim ac publice denuntiati* tamquam excommunicati sub proprio nomine, vel sub ea descriptione, qua clarissime designatur haec in individuo persona.

(a) Major excommunicatio mortalis et anathema veteribus dicebatur, minor *medicinalis* dicta veteribus: haec vero multiplex erat, et praesertim in eos ferebatur, qui peccata sua agnoscebant, et poenitentiam et pacem postulabant; hi enim accepta poenitentia, communibus precibus, et communione eucharistica ad tempus removebantur, tum in medicinam, cum ad exemplum aliorum, non tamquam ethnici et publicani expellebantur. Imo, ut Morinus *de administrat. poenit.* l. 4. c. 25. observat, tot erant species medicinalis excommunicationis, quot publicae poenitentiae gradus erant.

(b) Haec remitti, atque absolvi potest a quolibet sacerdote potestatem habente absolvendi a peccatis pro foro interno.

(1) *Cap. 5. quem 59. de sentent. excomm.*

(2) *Greg. IX. in cap. si quum 59. eod.*

(3) *Cap. 15. 29. 55. eod.*

Reliqui omnes sunt, et vocantur *tolerati* seu non vitandi, quia, licet ipsi teneantur ex sua parte abstinere a communicatione fidelium, aliis tamen fidelibus, si velint, aut possint absque scandalo, permittitur eos non vitare, et cum illis communicare. Ita ex Const. Martini V (1) postmodum confirmata in Concil. Lateranensi sub Leone X (2) (a).

CONCLUSIO SECUNDA

Vis, et effectus excommunicationis excutiuntur.

Effectus excommunicationis majoris ad duos potissimum referuntur 1.° ad privationem bonorum Ecclesiae communium, in quantum *indirecte* communicationem inducunt, licet *interior* potius quam *exterior* ea communio sit, 2.° ad privationem communionis exterioris cum fidelibus *directe* quaesitae (b). Et

(a) Citata const. laudatus Pontifex protestatur, se ipsis excommunicatis, quando de solo eorum commodo agitur, nihil juris, aut favoris concedere, licet indirecte in ipsos favor redundet, si reliqui fideles velint communicare. Hinc licite non possunt excommunicati, et quandoque nec valide se in communionem ingerere.

(b) Apud Judaeos ethnici, et publicani sacris conventibus, non civili commercio, officiisque privabantur. Atque ab ipso Apostolorum aevo receptum, ut quaedam civilia officia excommunicatis denegarentur, qualia fuerunt officia libera, ex. gr. amicitia, salutationes, mutuus convictus Joan. epist. 2. c. X. 1. ad Cor. 7. 2. Ad Rom. 14. 17. Non autem quae necessitate juris debebantur ex. gr. conjugum habitatio, parentum in liberos officia, et e contra, magistratibus debita obedientia etc.

(1) *Extravag. ad evitanda.*

(2) *Sess. II.*

quoad primum privantur susceptione seu usu passivo Sacramentorum, ita ut excommunicatus sive toleratus, sive non, nequeat licite recipere aliquod Sacramentum sub mortali (1), nisi excuset ignorantia invincibilis metus mortis, infamiae, scandali, gravis jacturae bonorum etc. non enim tanta severitate obligat censura ex DD. cum Layman (2) (a), 2.° usu privat etiam activo, ita ut ab excommunicato non possint licite administrari extra casum necessitatis; nec valide recipit, et administrat excommunicatus Sacramentum poenitentiae, ad quod requiritur debita dispositio et jurisdictio, qua utraque per se et regulariter caret ille, extra casum necessitatis (b); 3.° nec potest Sa-

(a) Hinc ligatum excommunicatione, sub gravi tenetur sacerdos prius absolvere ab ea, quam a peccatis absolvat. Attamen ex DD. nulla lege declaratur invalida absolutio, quae poenitenti recte disposito absque praevia absolutione a censuris confertur sive ex inadvertentia, nisi peccatum sit reservatum; non enim aliter videtur confessarius carere jurisdictione.

(b) Sacerdos, qui ministrat Sacramenta excommunicato vitando et denuntiato, incurrit excommunicationem minorem, necnon ille, qui ab excommunicato vitando recipit Sacramenta; praeterea ipsi personaliter interdicitur ingressus Ecclesiae c. *Episcoporum 8. de priv.* in 6. Imo qui *scienter et sponte participaverunt cum excommunicatis a S. Pontifice, et ipsos in officiis receperunt, eadem excommunicationis* (majoris) *sententia involvuntur*; et haec censura reservata est S. Sedi c. *Significavit* 18. *de sent. excomm.* Per divina officia intelliguntur sacrificium missae, publica oratio, processio cantus horarum, benedictio olei, aquae, candelarunm et coetera adnexa ordini clericali, quae solemniter fiunt excepta concione.

Missas vero aut divina officia coram denuntiatis excommunicatis celebrari non possunt c. Is. *de sent. excomm.* in 6. Hinc cessandum ab his, si aliquis interveniens ex illis non posset excludi, et nisi sacerdos incoepisset jam in missa *Qui pridie etc.* haec jam inchoata est derelinquenda, at si canon, vel ut alii volunt, con-

(1) *Cap. 52. et 59. de sentent. excomm.*

(2) *L. 1. Tr. 5. p. 2. c. 2.*

mentalibus juvari ex. gr. aqua benedicta etc. in quantum orationes fidelium repraesentant, at non prohibetur ad privatam devotionem excitandam eis uti (1); 4.° privat communibus suffragiis (2); 5.° similiter usu divinorum officiorum, ita ut sub mortali quoad partem notabilem non possit iis interesse, nisi excuset ignorantia, vel necessitas vitandi scandali. Privatim tamen adire templum, ibique orare, aut concionem audire ei non est interdictum; 6.° sepultura ecclesiastica non toleratum privat, et si contrarium fiat, ac corpus disce rni possit, debet exhumari, et in eo loco divina peregi ante reconciliationem nequeunt (a). Insuper illos sepelientes dicuntur incurrere excommunicationem majorem (3); 7.° jurisdictio excommunicati non tolerati tam voluntaria, quam contentiosa ligatur ita, ut invalide exerceret illius actus; unde non potest eligere, conferre, praesentare ad beneficia, ferre leges, vel sententiam. Qui vero beneficium ab eo accipit, dicendus *intrusus*, proindeque beneficium una cum fructibus tenetur relinquere (b); 8.° excommunicatus inhabilis fit ad dignitates, beneficia, et officia ecclesiastica deinceps obtinenda,

---

secratio incepta sit, solo manente ministro eam Sacerdos prosequi debet usque ad sumptionem sacrarum specierum qua facta recedere debet, caetera in Sacristia perfecturus.

(a) Si excommunicatus decessit cum signis poenitentiae, non est exhumandus, sed absolvendus petita absolutione ab haerede.

(b) Cum tolerato excommunicato fideles ex antea dictis si velint communicare, vel actum ipsi alias prohibitum ab eodem requirant, vel si quoad actus forenses contra ipsum nemo excipiat, tales actus valide, et licite exercentur juxta DD.

(1) *Confer Suarez disput. 12.*

(2) *Videsis notam tertiam concl. 1.*

(3) *Cap. 12. Clement. I. de sepult.*

et eorumdem exercitia; item ad consequenda Rescripta (a). Quapropter ejusmodi rescriptis inseri solet absolutio ad cautelam, dumtaxat ad rescripti effectum consequendum; 9.° privatur omni communicatione forensi, seu fori judicialis. Hinc nequit esse Judex, advocatus, procurator, actor, tabellio, testis etc. ita tamen ut contra excommunicatum etiam toleratum, semper possit reus excipere; quod si non faciat, nec judex eum repellat, valida ejus acta erunt, si sit toleratus, judice non tolerato excepto, cum careat jurisdictione.

Per privationem autem communionis exterioris alterum effectum praedictum excommunicationis intelligi debet omnis civilis seu politica communicatio fidelium (1), ita ut excommunicatus non possit cum aliis, et si non sit toleratus, etiam alii cum ipso non possint communicare per verba, literas, salutationes, convictum, convivia, pacta, contractus, licet hi cum illis initi valeant (b).

Ex his omnibus colligere fas erit excommunicatos

(a) De beneficiis item obtentis ante sententiam judicis jam praenotatum fuit quod haec non ammittuntur, uti nec probabilius fructus eorum, saltem si officium per alium impleri possit.

(b) Effectus excommunicationis sed mediati, seu remoti sunt etiam 1.° irregularitas, quam excommunicatus incurrit exercendo actus ordinis, 2.° si ille insordescat, seu permaneat per totum annum, nec petat absolutionem, in criminibus habetur pro convicto ex. gr. in causa haeresis habetur ipso jure haereticus, in alia causa fit suspectus de haeresi, et quidem vehementer; et si ad citationem etiam secundo anno se non defendat, nec absolutionem petat, et iterum citatus non compareat, declaratur ut haereticus, et contra ipsum ut talem procedi potest ex Trid. sess. XXV. c. 8. *de Reform.* ideoque etiam privandus est beneficio, si quod habuit.

(1) *C. 2. de except. c. Nuper et alibi.*

privari communicatione in sacris et divinis, in forensibus negotiis, in civilibus atque politicis, quae omnia hoc versu comprehensa habentur:

Os, *orare*, *vale*, *communio*, *mensa negatur.*

Communicantes denique cum excommunicatis fideles pro modo puniantur culpae, et contumaciae (a).

Hac vero lege, quae officia humanae societatis abrumpit, nonnulli eximuntur, quos ad conversandum cum excommunicatis impellit justa causa, cujusmodi esse DD. dicunt pietatem, necessitatem, utilitatem, ignorantiam, quae comprehendere solent sequenti versu, uti videre est in Glossa (1) et apud S. Bonaventuram (2):

Utile, *lex*, *humilis*, *res ignorata*, *necesse* (b).

(a) Hinc in actionibus divinis publicis ex. gr. Sacramentis etc. annexis sacro ordini, quae solemniter fiunt, communicare cum non tolerato est grave, nisi vel levitas materiae, vel ignorantia, aut simile quid excuset. In actionibus ecclesiasticis privatis ex. gr. in recitatione horarum cum socio, et in civilibus inducit excommunicationem minorem; at secluso contemptu per se venialiter delinquitur. Etenim vel ratione scandali vel si communicatio esset valde frequens, aut excommunicatus sumeret occasionem perseverandi in contumacia, aut si quis communicet cum excommunicato a Summo Pontifice, utique graviter peccat, et in his duobus ultimis casibus incurrit etiam excommunicationem majorem.

(b) Notandum igitur quod communicare in civilibus etiam cum non toleratis permissum sit fidelibus in his casibus 1.° ubi id exigit magna utilitas vel excommunicati, ex. gr. si fiat cum spe eum convertendi, aut ei detur eleemosyna; vel communicantis, ut si hic ab ipso urgeat solutionem debiti, petat consilium, opem etc. 2.° si exigat lex vinculi conjugalis, in ordine ad torum, et

(1) *Cap. cum desideras de sentent. excomm.*

(2) *In 4. dist. 18. quaest. 5.*

obsequia domestica; 3.° si exigat subjectio, qualem habent liberi erga parentes, minores erga tutorem, et curatorem, famuli erga herum, domestici erga patrem-familias etc. 4.° si detur ignorantia (etiam vincibilis, modo non sit affectata) sive juris, sive facti; 5.° si postulet necessitas seu animae, seu corporis tum ex parte communicantis, tum ex parte excommunicati.

Demum juvat hic sententiam sapientissimi Benedicti XIV *de Synod. Dioec.* l. 6. c. 5. n. 2. adducere de haereticis quoad communicationem cum ipsis, quam non tantum in humanis sed etiam in divinis, et sacris putant aliqui catholicis permissam: *Quamquam per canonem Concilii Constantiensis qui incipit* Ad evitanda, *quique in suo semper vigore permansit, non obstantibus subsequentibus contrariis constitutionibus Concilii Basiliensis, et Lateranensis nonnihil relaxata fuerit disciplina in eo quod pertinet ad conversandum atque etiam in divinis communicandum cum haereticis qui tolerantur..... non idcirco tamen arbitrari debent catholici fas sibi esse indistincte cum haereticis quamvis non denunciatis in rebus sacris, et divinis communicare; siquidem Paulus V post maturam rei discussionem neutiquam licere definivit catholicis regni Angliae haereticorum templa adire, ritibusque interesse, quos inibi exercent.* Nec tamen ipse laudatus Pontifex omisit postea memorare sententiam aliquorum theologorum, qui inculpabiliter tenent catholicos posse cum haereticis et schismaticis non denuntiatis in divinis communicare, atque ab iis etiam Sacramenta percipere; modo id faciant ob gravissimam aut necessariam causam, Sacramenta ritu catholico plane administrentur a ministris valide ornatis, atque communicatio haec nullam praebeat indicium, aut conjecturam faciat errorem a catholico homine probari, neque scandalum, aut offensionem afferat. At monet ipse Pontifex plurimos esse Theologos, qui eidem sententiae contradicunt; simulque fere esse impossibile quod circumstantiae enumeratae conjunctim adesse possint. Denique si quis tamen catholicus (cum DD. observamus) curiose templa haereticorum, aut schismaticorum ingrediatur, et inspiciat ea, vel causa eruditionis sacris etiam intersit, is in sacris atque divinis communicare non dicitur, dum constet, quod non ut eorum sit particeps, aut quidquam adprobet, intersit.

CONCLUSIO TERTIA

Excommunicationes nemini, Episcopis, et Papae reservatae recensentur.

Ex jure antiquo excommunicationes nemini reservatae usitatiores sunt multae. Ne autem multitudo earum confusionem pariat, S. Ligorii vestigia prementes primo quae contra omnes, deinde quae contra clericos, demum quae contra religiosos latae sunt numerabimus. Itaque excommunicationes nemini reservatae sunt illae, quae latae sunt contra omnes 1.° vexantes ecclesiasticos quod eum, pro quo rogati fuerint, non elegerint (1); 2.° directores Monialium, si foveant discordias in electione (2); 3.° extorquentes absolutionem a censura per vim, aut metum (3); 4.° compellentes ecclesiasticos, ut laicis submittant jura Ecclesiae (4); 5.° docentes leges, vel medicinam religiosos, qui dimiserunt habitum, vel retinentes in suis scholis (5); 6.° sepelientes tempore interdicto, vel interdictos, vel excommunicatos non toleratos, vel manifestos usurarios (6); 7.° impedientes visitatores monialium (7); 8.° contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum monialibus (8); 9.° edentes glossas in Tridentinum (9); 10.° imprimentes libros sine superiorum licentia (10); 11.° praecipientes suis

(1) *C. Sciant de elect. in 6.*
(2) *Cap. Indemnitatibus eod.*
(3) *Cap. de his quae vi etc.*
(4) *Cap. 2. de rebus Eccl. non alien. in 6.*
(5) *Cap. 2. de cleric etc. in 6.* (6) *Clem. I. in 6.*
(7) *Clement. attendentes de statu Monach.*
(8) *Clement. un. de consent.* (9) *Bulla 12. Pii IV.*
(10) *Bulla 12. Leonis X.*

subditis, ne officia communia reipublicae exhibeant ecclesiasticis (1); 12.° doctores et professores non facientes professionem fidei, ubi recepta est Bulla 86. Pii IV; 13.° negligentes administrare justitiam ecclesiasticis (2); 14.° potestates faventes usuras (3); 15.° ratas habentes collationes ordinum, et beneficiorum a schismaticis (4); 16.° occupantes bona Ecclesiae vacantis titulo Regaliae, aut defensionis (5); 17.° procurantes, ut conservatores regularium se immisceant in aliis, quam in manifestis injuriis, et violentiis (6); 18.° judices accedentes ad mulieres ex causa ficta ad excipiendum testimonium (7); 19.° mandantes interfici christianos per assassinos (8); 20.° concedentes, vel concessas repraesalias (a) extendentes adversus ecclesiasticos (9); 21.° impedientes sequestrum ab ordinario super Beneficio factum, vel fructus occupantes (10); 22.° pingentes, inaurantes etc. Agnos Dei a Pontifice benedictos (11); 23.° non denunciantes S. Officio, vel ordinario Haereticos, magos, sagrilegos, vel haereticaliter blasphemantes Deum, B. Virginem, et Sanctos (12); 24.° Dominos permittentes agitationes

---

(a) Repraesaliae fiunt quando passi injustum damnum auctoritate principis invadunt bona eorum, qui damnificaverunt usque ad justam compensationem.

(1) *Cap. eos qui de immunit. Eccl.*
(2) *C. administrationis 12. q. 5. his quae vi etc.*
(3) *Clement. un. de censura.*
(4) *Cap. 1. de Schism.*
(5) *Cap. Generali de elect. in 6.*
(6) *C. fin. de offic. deleg. in. 6.*
(7) *Cap. 2. de Judic. in 6.*
(8) *Cap. 1. de homic. in 6.*
(9) *Cap. un. de injur. in 6.*
(10) *Clement. un de sequest. posses.*
(11) *Bulla 2. Greg. XIII.*
(12) *Edictum S. Officii.*

taurorum in terris suis (1), exceptis Hispaniarum Regnis ; 25.° facientes servari statuta contra libertatem Ecclesiae (2) ; 26.° imprimentes , aut imprimi mandantes , vendentes , apud se retinentes , vulgantes libros de rebus sacris sine nomine auctoris , et approbatione ab ordinario obtenta (3) ; 27.° docentes non esse necessariam confessionem ante sumptionem Eucharistiae (4) ; 28.° Raptores mulierum, juvantes, faventes (5); 29.° cogentes contrahere matrimonia cum praescriptis (6) ; 30.° magistratus , qui requisiti non juvant Episcopos ad restituendam clausuram Monialium (7) ; 31.° ingredientes (cujusque conditionis , vel sexus fuerit) Monasteria Monialium , sine licentia in scripto obtenta (8) ; 32.° cogentes mulieres ingredi Monasterium , et profiteri (9) ; 33.° impedientes sine justa causa , sanctam voluntatem mulierum emittendi votum (10) ; 34.° dominos temporales concedentes in terris suis locum pro duello (11) ; 35.° legentes , aut habentes libros haereticorum , vel cujusvis auctoris scripta ob haeresim , vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata ex regula X. judicis.

Et hae quidem contra omnes : adsunt aliae peculiares contra Clericos 1.° in dignitate constitutos, aut sacerdotes audientes publice jus , aut medicinam (12) ;

(1) *Bulla 48. S. Pii V.*
(2) *Cap. Noverim de sentent. excomm.*
(3) *Ex Trid. sess. IV. Decret. de editio : Nulli liceat imprimere liberos etc.*
(4) *Trid, sess. XIII. can. 11.*
(5) *Sess. XIII. can. 9.* (6) *Sess. XXIV. can. 9.*
(7) *Sess. XXV. cap. 5. Regular.* (8) *Ibid. 7.*
(9) *Sess. XXV. cap. 18. de Regul.*
(10) *Ibidem. 9.*
(11) *Sess. XXV. cap. 9. de Reform.*
(12) *Cap. fin. Ne Cleric. etc.*

2.° sacerdotes recipientes praefecturas saeculares (1); 3.° clericos minores Episcopis locantes domus usurariis 4.° Alienantes bona Ecclesiae, vel locantes ultra triennium (2); 5.° impugnantes in concionibus montes pietatis (3); 6.° contrahentes matrimonium, si sunt in sacris (4); 7.° ficte resignantes, vel permutantes beneficia (5); 8.° ingerentes se in alterius episcopatum ad officium sine licentia proprii Episcopi (6); 9.° procurantes, ut alii occupent jura, et bona Ecclesiarum vacantium (7); 10.° Episcopos, qui veniunt ad Urbem, et inde recedunt sine licentia Papae (8); aut qui impetrant a Principibus litteras ad dignitates (9).

Aliae denique latae habentur in Regulares 1.° audientes leges, vel medicinam extra claustra (10); 2.° habitum temere dimittentes, vel matrimonium contrahentes (11); 3.° instituentes novum ordinem, *vel locum acquirentes sine licentia Papae* (12); 4.° adeuntes curias principum ad nocendum suis Monasteriis, vel Praelatis (13); 5.° tenentes arma sine licentia intra claustra (14); 6.° non servantes interdictum, quando

---

(1) *Cap. Cleric. eod. 3.*
(2) *Extr. ambitiose de reb. Eccl.*
(3) *Bulla 11. Leon. X.*
(4) *Clement. un. de Const.*
(5) *Bulla 58. S. Pii V.*
(6) *Cap. Quoniam de offic. deleg.*
(7) *Cap. Generali de elect. in. 6.*
(8) *Extr. 2. et 3. de major. et obed.*
(9) *Bulla 96. Pii IV.*
(10) *Cap. non magnopere et cap. super specula Ne clerici etc.*
(11) *Clement. un. de consang.*
(12) *Cap. un. de Rel. dom. in 6.*
(13) *Clement. ne in agro etc.* (14) *Ibid.*

servatur a Cathedrali; 7.° non adimplentes disposita in Bulla Alexan. VII *Felici* in Visitatione Monialium sibi subjectarum; 8.° occupantes decimas Ecclesiis debitas, vel illas solvi prohibentes (1); 9.° qui ex Mendicantibus recipiunt novas domos, vel receptas alienant sine licentia Papae (2); 10.° qui non observant interdictum a Papa, vel ab Episcopo positum (3); 11.° qui de Cappuccinis recipiunt Minores de Observantia sine licentia Papae, aut Ordinis Generalis, et qui recipiuntur (4).

Excommunicationes Episcopis reservatae sunt contra omnes 1.° qui leviter percutiunt clericos, vel graviter etiam, si percutiens sit mulier; 2.° eos qui absoluti in articulo mortis a censura, vel peccato adnexam habente censuram non se praesentant superiori, postquam convaluerunt; 3.° Fratres Minores si admittant in suis Ecclesiis ad officia divina Fratres tertii ordinis; 4.° procurantes abortum foetus animati effectu secuto; 5.° communicantes in eodem crimine cum excommunicatis ab Episcopo; 6.° Eae omnes, quae feruntur ab Episcopis per propria statuta, et sibi reservant, quas confessarii videant in Agendis.

Excommunicatione Papae reservata feriuntur 1.° omnes incendiarii modo sint ab homine excommunicati, et denuntiati (5); 2.° habentes literas apostolicas falsas, et non destruentes; item falsarii litterarum Apostolicarum (6); 3.° Effrigentes, et spoliantes Ec-

(1) *Clement. I. de decim.*
(2) *Clement. Capientes de Poenitent.*
(3) *Clement. I. de sententia excomm.*
(4) *Bulla 20. Xisti V.*
(5) *Cap. Tua nos de sentent. excomm.*
(6) *Cap. Dura eod.*

clesias (1); 4.° communicantes in eodem crimine cum excommunicatis a Papa (2); 5.° vexantes eos, qui censuram in alios tulerunt (3); 6.° absoluti excommunicatione sub conditione, et non implentes (4); 7.° violantes interdictum papale (5); 8.° dantes, et recipientes aliquid ex pacto ob admissionem ad religionem (6); 9.° simoniaci reales circa ordinem, vel beneficium (7); 10.° committentes simoniam confidentialem (8); 11.° impedientes executionem litterarum sacrae poenitentiariae (9); 12.° dantes, et recipientes aliquod pro gratia, aut justitia apud sedem apostolicam (10); 13.° committentes duellum, et ad id cooperantes suadendo etc. (11); 14.° mulieres ingredientes Monasteria Regularium (12); 15.° impugnantes institutum societatis Jesu; 16.° facientes jurare illicita, et contraria libertati ecclesiasticae (13); 17.° rapientes bona ecclesiastica; 18.° violantes libertatem ecclesiasticam, quoad fugientes ad Ecclesiam (14); 19.° docentes posse fieri confessionem in absentia; 2.° ii, qui alterutram opinionem de conceptione B. Virginis damnat peccati mortalis, vel haereseos, item ii, qui in concionibus, aliisque publicis actionibus, ut lectionibus, conclusionibus asserunt B. Virginem conce-

(1) *Cap. Conquaestio eod.* (2) *Cap. Nuper eod.*
(3) *Cap. Quicumque de sentent. excomm. in 6.*
(4) *Cap. eos qui ibid.* (5) *Extr. Etsi de poenit.*
(6) *Extr. Comm. 1. de simon.* (7) *Extr. 2. eod.*
(8) *Bulla Pii IV. 85. et Bulla S. Pii V. 85.*
(9) *Bulla S. Julii III.*
(10) *Extr. 1. de sent. et Bulla Bonifacii VIII. et Greg. XIII.*
(11) *Trident. cap. 19. sess. XXV., et Bulla Clement. VIII. 11. Illius vices.*
(12) *Bulla S. Pii V.* (13) *Bulla Greg. XIII.*
(14) *Bulla Greg. XIV. 7.*

ptam in originali culpa (1); 21.° percussores clericorum (2); 22.° perseverantes per annum in excommunicatione lata a Delegato Papae (3); 23.° offendentes Cardinales (4); 24.° exigentes tributa a personis ecclesiasticis (5); 25.° violantes interdictum modis prohibitis (6); 26.° exenterantes corpora Sanctorum (7); 27.° mentientes personas in litteris apostolicis, ut earum expeditionem gratis assequantur (8); 28.° simulantes, et supponentes se alios esse pro obtinendis beneficiis a Dataria (9); 29° mittentes litteras, aut nunçium in Conclave, vel inde recipientes (10); 30.° occupantes bona Ecclesiarum, Montium Pietatis, aut alterius loci pii, vel impedientes, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur (11); 31.° foeminae, et masculi ingredientes septa Monasteriorum Monialium praetextu licentiarum in casibus non necessariis (12); 32.° capientes, et retinentes christianos habitantes inter Turcas, et illorum bona eripientes, aut remigare cogentes (13); 33.° publicantes Indulgentias, et facultatem dantes eligendi confessores iis, qui aliquid solvunt (14); 34.° accipientes, et retinentes fructus beneficii vacantis, vel impedientes beneficii possessio-

---

(1) *Extr. Gravaminis de Relig. et Bullà 97. S. Pii V.*
(2) *Cap. Si quis suadente.*
(3) *Cap. Quaerenti de offic. deleg.*
(4) *Cap. Felicis de poenit.*
(5) *Cap. Clericis de immun. in 6.*
(6) *Clement. gravis de sentent. excomm.*
(7) *Extr. 2. de sepult.* (8) *Bulla Leonis X.*
(9) *Bulla 12. Pauli IV. Inter ceteras.*
(10) *Bulla Pii IV. In eligendis.*
(11) *Concil. Trid. cap. 11. sess. XXII. de Reform.*
(12) *Bulla Greg. XIII. 28. ubi gratias.*
(13) *Bulla S. Pii V. 149. Licet.*
(14) *Bulla S. Pii V. 99. quam plenum.*

nem non solventibus dulciaria, sive aliam solutionem (1); 35.° diripientes animalia, et bona, vel illa ablata ementes ex statu ecclesiastico (2); 36.° extrahentes frumentum, blada, legumina, et oleum extra statum ecclesiasticum sine licentia (3); 37.° docentes aut defendentes etiam disputative opiniones damnatas (4); 38.° carbonarii et masones, quique eorum societates colligunt, fovent, adjuvant, iisve adscribuntur (5); 39.° legantes libros de astrologia judiciaria vel de divinatione tractantes (6), item legentes libros talmudicos, et Alcoranum Basileae impressum (7); 40.° laicos imprimentes, aut publicantes libros, scripturas, et hujusmodi circa imminutionem diernm festorum de praecepto (8).

Atque hae quidem sunt contra omnes: aliae adsunt contra clericos, et religiosos 1.° participantes in sacris cum excommunicatis a Papa (9); 2.° procurantes alienationes Ecclesiarum; 3.° concionatores, qui scripturae sensum a Doctorum interpretatione alienum circa tempus Antichristi, et extremi judicii, aliaque similia revelata praedicant; 4.° parochos non implentes jusjurandum de residentia datum; 5.° mendicantes transeuntes ad alium ordinem praeter Carthusianum (10); 6.° moniales exeuntes claustris sine licen-

(1) *Bulla S. Pii V. 104. Durum nimis.*
(2) *Bulla Greg. XIII. 98. Non sine.*
(3) *Paulus V. Bulla 12. Inter gravissimas.*
(4) *Decret. S. Offic.*
(5) *Constit. Providas Benedict. XIV.*
(6) *Ex Bulla Sixti V. Coeli, et Terra.*
(7) *Ex bulla Clement. VIII.*
(8) *Constit. Bened. XIV. Non multi menses.*
(9) *Cap. Significavit de sentent. excomm.*
(10) *Extr. Viam de Regul.*

tia (1); 7.° religiosos, qui sine privilegio, vel speciali licentia Parochi clericis, aut laicis Sacramentum Eucharistiae, vel Unctionis ministrare, vel matrimonia sollemnizare praesumunt (2); 8.° inducentes ad jurandum de eligenda, vel electa non immutanda sepultura in eorum Ecclesiis (3); 9.° commissarios, seu delegatos interponentes decretum per gratiam, aut timorem, vel sortes in alienatione bonorum Ecclesiae, aut per alios fieri alienationem dolose procurantes (4); 10.° praedicatores non servantes decreta circa eos lata in Concilio Lateranensi (5); 11.° absolventes sub praetextu privilegiorum a casibus Ordinariis reservatis (6); 12.° consentientes usurpationibus bonorum Ecclesiarum (7); 13.° euntes ultra mare sine licentia superiorum (8); 14.° superiores non denuntiantes religiosos, qui sunt suspecti de haeresi, inquisitoribus, vel ordinariis locorum (9); 15.° Minores de Observantia subornantes vota in electionibus (10); 16.° claustrales recipientes Minimos sine licentia Papae (11); 17.° tertiarios deferentes habitum Minorum (12); 18.° Episcopos, qui conferunt beneficia contra praescriptum Sancti Pii V. in eorum manibus resignata (13); 19.° Cardinales ambientes papa-

(1) *Bulla S. Pii V. 8.* (2) *Clement. I. de privil.*
(3) *Clem. Cupientes §. Sanc. de poenit.*
(4) *Bulla 2. Pauli II. Cum in omnibus.*
(5) *Bulla Leonis X. 21. Supernae.*
(6) *Decr. S. C. Episc. et Reg. a Clement. VIII. adprob.*
(7) *Concil. Trident. cap. 11. sess. XXII. de Reform.*
(8) *Extr. Ad nostra de Reg.*
(9) *Bulla Pauli V. 26. Romanus Pontifex.*
(10) *Bulla S. Pii V. 128. Pastoralis.*
(11) *Bulla Julii II. Virtute cospicuus extra Bullar.*
(12) *Bulla Leonis X. Licet alias extra Bullar.*
(13) *Bulla 58. Quanta.*

tum; et simoniace ejus causa (1); 20.° **Cardinales simoniacos in beneficiis** (2); 21.° judices, officiales laicos, ac praelatos ecclasiasticos trahentes personas ecclesiasticas ad forum laicale (3); 22.° dominos temporales, qui in terris suis suppositis interdictis cogunt celebrare, et audire divina officia (4); 23.° officiales, ac dominos temporales bannientes, aut facientes, et mandantes banniri personas ecclesiasticas (5); 24.° officiales, judices, et dominos temporales percutientes, vel bannientes Episcopos, vel haec mandantes, aut facta ab alio ratificantes (6); 25.° principes et dominos temporales concedentes locum, vel permittentes duellum in terris suis (7); 26.° Episcopos, et inquisitores, eorumque substitutos, qui faciendo, vel omittendo contra diffamatos de haeresi, delinquunt in officio (8); 27.° gurbernatores civitatum, et locorum status ecclesiastici recipientes munera praeter comestibilia (9); 28.° violantes clausuram religiosorum, aut monialium ad malum finem (10). Item viros, et mulieres ingredientes claustra Monialium praetextu facultatum, et superiores ingredi facientes, aut permittentes (11). Item mulieres ingredientes monasteria religiosorum praetextu, vel sine praetextu facultatum, et superiores id permittentes, aut etiam praetextu pietatis, et reli-

(1) *Bulla Pauli IV. 16. cum secundum.*
(2) *Bulla S. Pii V. 85. Hodie.*
(3) *Bulla Martini V. 10. Ad exprimendas.*
(4) *Clement. Gravis de sentent. excomm.*
(5) *Bulla Urbani VI. 3. Quia sicut.*
(6) *Clement. I. de poenit.*
(7) *Trident. sess. XXV. de Reform.*
(8) *Clem. multorum §. Verum de haeret.*
(9) *Bulla Pauli V. Munera.*
(10) *Decret. S. C. Concil.*
(11) *Bulla Greg. XIII. ubi gratia.*

gionis (1); 29.° defendentes esse licitam praxim excipiendi nomen complicis in confessione scripto, aut verbo, aut impugnantes decreta contra hujusmodi praxim, aut temere ea detorquentes, seu interpretantes in alienum sensum (2).

CAPUT VIII.

DE SUSPENSIONE, ET INTERDICTO.

CONCLUSIO PRIMA

Natura suspensionis, ejusque speciebus expensis, diversa, quae eam spectant, congeruntur.

Suspensio est censura ecclesiastica, qua clericus in emendationem exercitio potestatis ecclesiasticae, quam ratione officii, vel beneficii habet, salva dignitate abstinetur. Igitur 1.° est censura quia est poena medicinalis (a) lata ob emendationem ex. gr. ut citatus compareat

---

(a) Suspensio datur etiam ut mera poena in vindictam delicti, etiam poenitenti ad certum tempus, vel incertum utpote sic non poena medicinalis et ad emendationem contumacis ordinata nec requirit monitionem: item ultra tempus idem non profertur sed et elapso expirat ipso jure sine relaxatione c. 7. *de elect.* et c. 1. *de sent. excomm.* in 6. Datur et ut nuda inhibitio obeundi actus ordinis vel officii imposita ex justa causa absque delicto ex Concil. Trid. sess. 24. c. 1. *de Reform.* Hoc casu nullus requiritur processus judiciarius, nec tenetur praelatus causam ejusmodi suspensionis significare subdito, sed soli superiori, ad quem per simplicem querelam forte recurrit suspensus. Bened. XIV. *de Synod. Dioec.* l. 7. 71. n. 4.

(1) *Bulla Greg. X. 3. et bulla S. Pii V. decet Romanum et bulla Bened. XIV. Regularis.*

(2) *Const. Ubi primum Bened. XIV.*

in judicio, ut de legis transgressione satisfaciat etc. 2.° solum clericum respicit, cum hic tantum capax sit potestatis ecclesiasticae (a); 3.° non privat ipso beneficio, vel officio quoad titulum, sed quoad usum (b); 4.° differt ab excommunicatione, quae privat ab ecclesiastica potestate quatenus communionem cum aliquibus fidelibus continet, non quatenus competit ratione officii, aut beneficii, ut suspensio, et insuper haec in clericos irrogatur, illa etiam in laicos. Differt ab interdicto, quod privat etiam functionibus sacris, sed quatenus sunt quaedam divinorum participatio per praesentiam, et assistentiam, et fidelibus communis; suspensio privat iisdem, quatenus ab officio et beneficio dependent.

(a) Abatissae, Priorissae monialium proinde proprie non suspenduntur, cum ab officio, et actibus suae oeconomiae suspenduntur. Verum hic observandum quod non solum personae singulares sed et tota clericorum communitas suspensionem (et interdictum) incurrere possunt, uti constat ex c. *Quia saepe de elect.* in 6. Dupliciter autem fit: vel collective ex. gr. ipsum corpus capituli obtinens jus alicujus beneficii, jurisdictionis, administrationis, ab eo suspenditur; vel distributive ut singuli e capitulo, dummodo noxii sint, eandem poenam incurrant. Qui duo modi interdum junguntur. Verum suspensio lata in capitulum, si nihil aliud exprimatur, neque ex adjunctis colligatur, extendi non debet ad personas particulares; vox enim capituli collectionem significat non singulas personas. Ita Suarez disp. 18. sect. 3. n. 5.

(b) Usus officii includit duo licet actum 1.° ordinis scilicet administrationem sacramentorum, celebrationem missae, vel ministrationem ad illud ordinatam; 2.° jurisdictionis nimirum absolutionem a peccatis et censuris dispensationem, constitutionem legis, censurae, collationem beneficii etc. Per usum beneficii intelligitur functio, seu administratio beneficii et perceptio fructuum beneficialium; non vero aliorum stipendiorum propter functiones officii collatorum; imo ex Layman lib. 1. tr. 5. p. 3. cap. 1. et aliis si taliter suspenso per eum non stet, ut suspensione absolvatur, debet pars tribui a judice ad sustentationem suam, et suorum necessaria.

Suspensio alia est a *jure*, alia ab *homine*. Suspensiones ab homine sunt, quae imponuntur a superiore ecclesiastico pro aliqua actione particulari, ut fiat, vel non fiat. Suspensiones a jure sunt, quae variis personis propter varia in jure communi, et Constitutionibus Apostolicis sunt impositae (a), praeterea vel est *totalis*

(a) Suspensiones a jure impositas heic subnotandas duximus, praecipue itaque sunt sequentes ex Lucio Ferraris excriptae distincte ad majorem commoditatem in diversos articulos notatae:

ARTICULUS I.

Suspensiones contra Episcopos

1.° Ordinantes ad sacros ordines religiosos non professos. S. P. V. const. incip. *Romanus Pontifex*. 2.° Ordinantes Monachum sine licentia abbatis, cap. fin. dist. 58. ubi Barbosa, et alii. 3.° Ordinantes non subditum absque licentia proprii Ordinarii. Concil. Trid. cap. 8. sess. 23. *de Reform.* 4.° Conferentes Ordines simoniace, cap. penult. *de simonia*, et extravag. Pauli II. *de simonia*. 5.° Conferentes clericalem tonsuram infanti, aut illiterato, vel conjugato per annum a clericalis tonsurae collatione suspenduntur, cap. *Nullus de temp. Ord.* in 6. 6.° Conferentes ordines suspenso propter malam promotionem, cap. fin. *de temp. ord.* in 6. c. *Si qui Episcop.* 1. q. 1. 7.° Privantes beneficii eos, qui in Romana Curia commorantur. Eugen. IV. extravag. incip. *Divina*, *de privileg.* 8.° In proprium usum convertentes bona beneficiorum vacantium pertinentium ad eorum provisionem, cap. fin. *de officio ordinarii* in 6. 9.° Submittentes laicis bona, et jura Ecclesiae absque consensu capituli, et Sedis Apostolicae licentia, cap. *Hoc consultissime, de rebus Eccles. non alienand.* in 6. 10.° Alienantes bona Ecclesiae ultra triennium extravag. *Ambitiose de rebus Eccles. non alienand.* 11.° Admittentes resignationes beneficiorum contra formam praescriptam, constit. Pii V. incip. *Quarta*. 12.° In causa alienationis bonorum Ecclesiae male utentes delegata potestate. Pauli. II. const. incip. *Cum omnibus*. 13.° Intromittentes se in causis spectantibus ad electionem Episcoporum, postquam appellatum est ad Papam cap. *Quamvis*, et cap. *Provida de elect.* in 6. 14.° Negligentes procedere contra simoniacos

est, qua quis prohibetur ab omnibus functionibus tam officii, quam beneficii, et haec insuper venit nomine suspensionis a jure, vel ab homine terminis indefinitis, et absolute latis; vel est *Partialis* qua quis prohibe-

cap. *Quidquid* 101. q. 1. 15.° Foventes usuras, et usurariis locantes suas domus, cap. 1. *de usuris* in 6. 16.° Delinquentes contra clericorum immunitatem, Clement. II. *de poenis*. 17.° Accedentes ad Ecclesias, ad quas fuerunt promoti, nondum expeditis litteris apostolicis suae promotionis, extravag. 1. *de electione*. 18.° Abutentes munere inquisitorum in causis fidei, Clement. §. 1. *Verum, de haereticis*. 19.° Non servantes extravag. 2. de elect. quoad perceptionem fructuum 1. vel 2. anni; extrav. Joann. XXIII. *de elect*. 20.° Relaxantes incendiariis poenam contentam in jure, cap. *Pessimam* 23. q. 8. 21.° Publicantes simoniace populo indicem casuum, Gratiarum, et Indulgentiarum, Pii V. constit. incip. *Quamprimum*. 22.° Concubinarios a synodo provinciali admonitos, et non se emendantes. Conc. Trid. sess. 25. *de Reform*. cap. 14. 23.° Non visitantes limina Apostolorum statutis temporibus, Sixt. V. const. incip. *Romanus Pontifex*. 24.° Ingredientes Monasteria Monialium sine necessitate, et non cum paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis, uti expresse praescribit Gregorius XIII. Const. incip. *Dubiis*, in qua transgressores pro secunda vice, munere pontificali, et a divinis suspendit. 25.° Publicantes indulgentiam, et facultatem eligendi confessarios solventibus aliquid. Pii V. const. 99.

ARTICULUS II.

Suspensiones contra Capitula, seu Capitulares

1.° Recipientes Praelatos, eisque obedientes absque litteris pontificiis, extravag. 1. *de election*. 2.° Recipientes ex pacto in ingressu ad religionem ab admisso prandia, pecunias, aut jocalia, extravag. *Sane, de simonia*. 3.° Occupantes bona a praelato dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, cap. *Quia saepe de elect*. in 6. 4.° Recipientes ad professionem ante annum probationis, cap. *Non solum de Regularib*. in 5. 5.° Non facientes conscientiam poenitentibus de solvendis decimis. Clementin. *Cupientes de poenis*. 6.° Recipientes ad ordines sacros non professos. S. Pius V. const. incip. *Romanus Pontifex*. 7.° Introducentes mulie-

tur tantum a functionibus ordinis, vel beneficii, vel ab uno tantum, vel altero actu ordinis, vel officii ita tamen ut si quis sit suspensus ab officio, et nihilominus tamquam minister exerceat aliquem actum ordinis

---

res in Monasteria. S. Pius V. const. incip. *Begularium*. 8.° Non observantes in resignatione beneficiorum contenta in constit. S. Pii V. incip. *Quanta*. 9.° Usurpantes decimas sibi non convenientes. Clem. 1. *de decimis*.

ARTICULUS III.

Suspensiones contra Clericos

1.° Recipientes ordines sacros ante legitimam aetatem, cap. *vel non est compos de temp. ordin.* 2.° Recipientes tales ordines extra tempora absque dispensatione. S. Pius V. constit. incip. *Cum ex sacrorum*. 3.° Recipientes ipsos ordines, non servatis interstitiis sine dispensatione, c. *Cum quidam*, et c. *Litteris de temp. ordin.* 4.° Recipientes ordines ab alieno Episcopo sine licentia proprii c. 1. et 3. dist. 71. Concil. Trid. sess. 23. c. 8. *de Reform.* 5.° Recipientes ordines ab eo, qui renunciavit Episcopatui, cap. 1. *de ordinato ab Episcopo, qui renunciavit episcop.* 6.° Recipientes Ordines a proprio Episcopo in aliena dioecesi sine licentia proprii loci. Concil. Trid. sess. 6. *de Reform.* cap. 5. 7.° Recipientes ordines ab Episcopo Titolari absque licentia proprii Episcopi, etiam praetextu familiaritatis. Concil. Trid. sess. 14. *de Reform.* cap. 2. 8.° Recipientes ordines a schismaticis, cap. 1. et. 2. *de schismatic.* 9.° Recipientes scienter ordines ab excommunicato, vel suspenso, arg. cit. cap. 1. et 2. *de schismaticis.* 10.° Recipientes sacrum ordinem post matrimonium ratum, etiam non consummatum. Extrav. *Antiquae de verb.* 11.° Recipientes ordines, dum sunt excommunicati, suspensi, aut interdicti, cap. *Cum illorum de sent. excomm.* 12.° Ordinatos sine, vel ficto titulo, cap. *Neminem*. et cap. *Sanctorum* dist. 70. 13.° Promotos per saltum, Concil. Trid. sess. 23. cap. 14. *de Reform.* 14.° Objicientes in personam electi, et postea deficientes in probatione, cap. 1. *de elect.* §. *Adijcientes* in 6. 15.° Ordinatos in majoribus cum litteris dimissoriis capituli, sive ejus Vicarii sede vacante infra annum. Concil. Trid. sess. 7. *de Reform.* cap. 10. 16.° Celebrantes coram excommunicato, vel interdicto, cap. *Episcoporum de privi-*

proprium, hoc ipso contrahat irregularitatem Summo Pontifici reservatam. Quod si suspensio *ab officio* absolute proferatur, intelliguntur prohibitae omnes functiones officii tam ordinis, quam jurisdictionis; sicut si suspensio a beneficio simpliciter proferatur, pariter privat omni illius administratione, et fructuum perceptione.

---

legiis. 17.° Parochos non prohibentes matrimonia clandestina, vel contra interdictum Ecclesiae, cap. *Cum inhibitis*, §. fin. *de clandestinis desponsat.* 18.° Tradentes sepulturae publicos usurarios, cap. *Quia in omnibus de usuris.* 19.° Parochos jungentes sponsos alterius parochiae sine licentia. Conc. Trid. cap. 1. sess. 24. *de Reform. Matrimon.* 20.° Abutentes vestibus contra statuta a jure. Clement. 2. *de vita, et honestate clericor.* 21.° Occupantes bona Ecclesiarum vacantium, vel a praelatis ipsarum defunctis relicta, cap. *Quia saepe, de elect.* 22.° Gravantes alienis debitis Ecclesias sibi commissas; cap. *de solutionib.* 23.° Electores Episcoporum non praesentantes electionem electi infra 8. dies, c. *Cupientes de elect.* in 6. 24.° Eligentes indignum ad Episcopatum vel curam animarum, cap. *Cum in cunctis de elect.* in 6. 25.° Postulantes praelatos Cathedralium minores 28 annis, extravag. un. *de postolat Praelator.* 26.° Compromissarios scienter eligentes indignum, cap. *Compromissarium de elect.* in 6. 27.° Celebrantes electionem per abusum saecularis potestatis, cap. *Quisque* 13. *de elect.* 28.° Inferiores Episcopis recipientes in visitationibus procurationem in pecunia, vel in victualibus visitationis officio non impenso, cap. *Exigit de censibus* in 6. 29.° Facientes in judicio per sortes aliquid contra justitiam, et conscientiam in gravamen partis, cap. 1. *de sentent. et re judicata* in 6. 30.° Conferentes beneficia eorum, qui serviunt in curia, vel eadem recipientes, extravag. 3. *de privileg.* 31.° Conservatores Regularium se intromittentes in aliis, quam manifestis injuriis cap. fin. *de offic. et potestat. judicis delegat.* in 6. 32.° Concubinarios notorios, cap. fin. *de cohabit. cleric. et mulier.* 33.° Occupantes bona, census etc. Ecclesiae, beneficii, vel alterius pii loci, et occupantibus consentientes. Concil. Trid. cap. 11. sess. 22. *de Reform.* 34.° Sodomiam exercentes. S. Pius V. const. 3. et 72. *in ordine.* 35.° Consequentes ordines simoniace, et simoniam aliter committentes. S. Pius V. const. incip. *cum primum*, et extravag. Pauli II. *de*

Suspensus ab ordine inferiore intelligitur suspensus etiam ab ordine etiam superiore, sed non vicissim. Suspensus a divinis, ab omni actione solemni suspensus intelligitur.

---

simonia. 36.° Provocantes ad duellum, vel illud acceptantes, cap. 1. *de cleric. pugnant. in duello*. 37.° Sponte jurantes de tenendo schismate, cap. 1. *de schismatic*. 38.° Raptores mulierum, et ad raptum auxilium praebentes. Concil. Trid. c. 6. sess. 26. *de Reform. Matrim*. 39.° Disputantes de Immaculata Conceptione B. M. V. S. Pius V. const. incip. *Super specula* aut impugnantes illam, Gregor. XV. const. 29. incip. *Sanctissimus*. 40.° Recipientes, et admittentes praelatos promotos a sede apostolica, eisque obedientes sine litteris Papae, extravag. 1. *de elect*. 41.° Superiores Ecclesiarum non exigentes singulis annis rationes de adimplemento onerum Missarum. Innocent. XII. Constit. incip. *Nuper a Congregatione*. 42.° Celebrantes Missam, et in ea non communicantes, cap. *Relatum, de consecrat*. dist. 2. 43.° Non perficientes sine gravi causa Missam jam inchoatam, cap. *Nullus Episc*. 58, *de consecr*. dist. 1.

ARTICULUS V.

Suspensiones contra Religiosos

1.° Recipientes alumnos ad professionem ante annum probationis, cap. *Non solum, de Regular*. in 6. 2.° Non deferentes habitum a regula statutum. Clem. 1. §. *Si quis, de statu Monachor*. 3.° Apostatas in apostasia ordines suscipientes, cap. fin. *de Apostat*. 4.° Non professos recipientes ordines sacros. S. Pius V. constit. 75. 5.° Ejectos a religione. Urban. VIII. constit. 26. §. 10. 6.° Introducentes mulieres intra clausuram conventuum. S. Pius V. constit. 20. 7.° Appropiantes sibi, et usurpantes decimas ipsis non convenientes. Clem. 1. *de decimis*. 8.° Superiores concedentes reditus, aut possessiones Monasteriorum alicui ad vitam, seu aliud certum tempus, nisi necessitas exposcat. Clem. *de Rebus Eccl*. 9.° Superiores non exigentes singulis annis a deputatis pro libris missarum rationem de adimplemento totali onerum earumdem. Innocent. XII. constit. incip. *Nuper a Congr*. 10.° Superiores, ad quos occasione excessuum suorum religiosorum bona aliqua pervenerint, non satisfacientes personis damnificatis. Clem. 1. §. *Quibus, de privileg*.

Sub gravi regulariter tenetur suspensus se abstinere ab actibus, a quibus est suspensus, aliter contemneret Ecclesiam, et ejus censuram; quapropter illicite exerceret actum ordinis, vel beneficii etc. 2.° privatur beneficio, si suspensus in ejus ministrationem se ingerat (1); 3.° incurrit irregularitatem, si exerceat actum ordinis (2); quae non per absolutionem uti censurae, sed per dispensationem tolli debet (a); 4.° nulli sunt actus jurisdictionis, beneficii, officii (excepto actu ordinis) quos exerceat suspensus *non toleratus* h. e. nominatim et publice denuntiatus, qui a fidelibus etiam vitandus ita ut talem actum a taliter suspenso requirere licite non possint (b) (3). Si tamen non sit toleratus, suspensus agit valide, imo si se ipsum non ingerat, sed a fidelibus ex justa causa requiratur ex. gr. ut legat missam etc. etiam licite agit ex Bulla *ad tribuenda* Martini V; 5.° nequit retardari haec censura, aut suspendi a suo effectu semel incursa, praeterquam a Summo Pontifice; 6.° impediri potest, si sit ab officio, et ingressu Ecclesiae, per appellationem, quae

---

(a) Non Sacerdos tantum in irregularitatem offendit, si durante suspensione, munere proprii ordinis fungatur, *a qua nonnisi per Summum Pontificem poterit liberari*, c. *quum aeterni* 1. *de sent. et re jud.* sed clericus etiam inferior, si excommunicatus, interdictus, aut suspensus in aliquo ex ordinibus ministrat, ut fere probat Fagnanus in c. *si quis* 2. ex. *de cler. excomm. depos., vel interd. ministr.* 2. 2. et seqq. licet ab ea irregularitate Episcopus dispenset ex eodem Fagnano. At juxta communem suspensus ab ordine sacro, hunc si non solemniter exercuerit, et hinc si ita suspensus caneret epistolam, vel Evangelium in missa solemni sine manipulo vel stola, non incurreret irregularitatem.

(b) Communicans cum suspenso licet denuntiato in actionibus, in quibus non est suspensus, aut non peccat, vel solum venialiter.

(1) *Cap. 1. cap. 16. de elect. in 6.*

(2) *Cap. 3. de cleric. excomm.*

(3) *Cap. 8. consuet. cap. 16. de elect.*

praecessit ipsam suspensionem. Suspensio vero a beneficio, ab administratione ejusdem, a voce saltem passiva per appellationem etiam subsequentem impediri potest. At non solum sententia excommunicationis, uti dictum fuit, aut interdicti, sed etiam suspensionis in scriptis ferenda est cum expressa causa, propter quam profertur (1); 7.° ut tamen in foro conscientiae quis suspensionem incurrat, requiruntur peccatum grave, et contumacia; hinc vel ignorantia, vel inadvertentia sicut excusat a culpa, ita et a suspensione; 8.° ab omni suspensione quamvis alias reservata absolvit Episcopus, si ex delicto occulto proveniat, nec de facile deducenda, aut deducta ad forum sit contentiosum (2).

CONCLUSIO SECUNDA

Interdicti species, et effectus ejusdem, ac poenae declarantur. Quis ferre et auferri illud possit necnon delicta, propter quae fertur, praenotantur.

De origine, et antiquitate interdicti praesertim generalis quamvis inter eruditos non convenit, ejusdem tamen exemplum est in canone vigesimonono Apostolorum (3), nec desunt PP. primorum saeculorum, uti Basilius, aliique, qui illud memorant. Definitur censura ecclesiastica privans hominem, vel locum usu divinorum officiorum, aliquorumque Sacramentorum ac sepulturae ecclesiasticae, quatenus res sacrae sunt, et fidelibus communes. Ergo distat ab excommunicatione; hac enim interdicitur quidem usus, qua

(1) *Cap. quum medicinalis 1. de sent. excomm. in 6.*
(2) *Trid. sess. XXIV. de Reform. in 6.*
(3) *Apud Cotelerium PP. Apostolicorum t. 1. pag. 447.*

usus est, sed interdicitur usus omnium sacrarum rerum, et ne communicetur cum fidelibus. Distat a suspensione, quae privat usu eodem, sed uti clericis proprio.

Interdictum nova disciplina sic distinctum (veteribus enim veluti species excommunicationis habebatur) praeter species divisionis, quas cum censuris in genere communes babet, dividitur 1.° in *locale*, quod directe et immediate fertur ad locum, ne ibi divina peragantur, mediate et indirecte ad personas solum censurae capaces; 2.° in *personale*, quod immediate adficit personas, easque usu quarundam rerum sacrarum quocumque eant, privat, et hinc *ambulatorium* dici solet. Utrumque *particulare* est nimirum locale, si interdicatur locus particularis ex. gr. particularis aliqua Ecclesia; personale, si persona aliqua, aut simul plures, saltem sub aliqua ratione communi expressae ex. gr. qui tale delictum commiserint, vel generale scilicet locale, si interdicatur locus varia sub se loca complectens, ut Regnum, Provincia, Civitas, imo et Parochia; personale, si aliqua communitas interdicatur personarum, ex. gr. integra universitas, capitulum, collegium, conventus (a), quorum omnia, et singula

(a) Interdictum locale tam generale, quam speciale omnes incolas tam laicos, quam ecclesiasticos etiam religiosos, quantumvis exemptos ligat, c. *Cum in partibus* 12. *de verb. significat.* et c. *Auctoritate* 4. *de privileg.* 126. sive latum sit a S. Sede Apostolica, sive ab Episcopo promulgatum ex Trid. sess. 25. cap. 12. *de Regul.* imo et ipsum latorem et ejus aequalem, vel superiorem illo, Papa solo excepto. Interdicto loco principali censentur interdicta etiam accessoria, et annexa, ut si civitas interdicatur etiam ad suburbana, si Ecclesia, etiam ad capellas, et coemeterium contiguum exporrigitur c. 17. *de sent. excomm.* in 6. licet alias odia sint restringenda: *ne vilipendi valeat sententiæ interdicti quod foret, si possit in ipsorum suburbiis, vel continentibus aedificiis licite celebrari.* Pari de causa si sit Ecclesia interdicto *supposita nec*

membra adficit, licet aliqua careant delicto, quandiu membra sunt, et ubicumque sunt (1) (a); 3.° distinguitur in interdictum mixtum, quod utrinque locale nimirum et personale participat, et personis, ac laicis usu rerum sacrarum interdicit. Interdictum si omnes effectus habet mox recensendos, est *totale*; si solum unum aut alterum, est *partiale*, ut si alicui tantum interdicatur *ingressus in Ecclesiam*, quod apud Praelatos ecclesiasticos loco excommunicationis, vel suspensionis Tridentinum quandoque usurpari voluit (b). Denique interdicta alia sunt a *jure*

in capella ejus celebrari, nec in coemeterio ipsius eidem Ecclesiae contiguis poterit sepeliri; secus si ei contigua non existant. Videntur autem *continentia* aedificia, quae ita parum ab urbe distant, ut a civibus adiri commode possint; quod vel ex circumstantiis judicio prudentum definitur, vel ab ipso judice decernendum; item etiamsi suburbia civitatis sint alii Episcopo subjecta, ne interdictum suo jure frustraretur, vel a jure interdicta habentur, vel a vicino Episcopo interdicta supponuntur. Unde ipsae religiosorum exemptorum Ecclesiae, licet particulari interdicto subjici nequeunt, subjiciuntur generali, ex quo fit, ut religiosi illud servare teneantur. Trid. sess. 25. c. 12. *de Regul.*

(a) Quae causam non dederunt interdicto, proinde liberantur, si membra esse desinant.

(b) Privatio ab ingressu Ecclesiae vetat, ne interdictus ab ingressu Ecclesiae sive exerceat ordinem sacrum in Ecclesia, sive in ipsa Ecclesia aut ejus coemeterio sepeliatur, sive ut in eadem Ecclesia officia divina audiat ex c. *Is qui* 20. *de sent. excomm.*, ut sic interdictus rubore perfundatur, atque ubi videat se a communi oratione exclusum, delicti poeniteat. Non vetat autem 1.° simplicem, et materialem ingressum ad Ecclesiam, dum non celebrantur divina, juxta probabiliorem; 2.° ne sic interdictus praedicta munia exerceat extra Ecclesiam in oratorio privato aut in agro; imo et in coemeterio Ecclesiae cujus ingressus est prohibitus, potest ordinem sacrum exercere, et officia divina audire, non tamen in eo sepeliri; 3.° nec interdicitur eidem recipere in eadem Ecclesia Sacramenta, quidquid cum P. Concina alii sentiant, qui id vetitum censent; nam canones nullam Sacramentorum suscipiendorum

(1) *Cap. 16. de sentent. excomm. in 6.*

alia ab *homine*: interdicta ab *homine* ferri possunt, ut infra dicetur, ab omnibus, qui excommunicare, et suspendere possunt; interdicta a *jure* sunt, quae jam in jure communi, aut constitutionibus apostolicis inflicta in quaedam delicta inveniuntur (a).

mentionem faciunt, et odia extendenda non sunt. Privilegium, quo interdictis permittitur in festivitatibus interesse divinis, ut mox videbitur, extenditur etiam ad interdictos ab ingressu Ecclesiae. Denique *Violantes interdictum ab ingressu Ecclesiae in ea celebrando incurrunt irregularitatem, et efficiuntur ineligibiles*, ex c. Is *qui* 18. *de sent. excomm.* in 6.

(a) Hujusmodi interdicta hic ad uberiorem notitiam ex eodem Lucio Ferraris excripta subtexere distinctis articulis non abs re duximus.

ARTICULUS I.

Interdicta localia generalia

1.° Contra Reges, et principes impedientes legatos, vel nuncios pontificios, ne fungantur suo officio, in quo casu omnes ditiones ipsius impedientis sunt interdictae, extravag. *Super gentes de consuetud.* 2.° Contra civitatem, excepta Roma, quae hostiliter insequitur Cardinales, vel insecutoribus consilium, auxilium, aut favorem praestat, cap. *Felicis* 5. *de poenis* in 6. 3.° Contra civitatem, quae delinquit percutiendo injuriose proprium Episcopum, vel ipsum capiendo, banniendo, seu mandando haec fieri. Et contra territorium, cujus dominus delinquit percutiendo, injuriose capiendo, banniendo, seu mandando haec fieri in quemcumque pontificem. Clement. 1. *de poenis.* 4.° Contra civitatem, in qua mortuus est Papa, et ibi novus est eligendus, et rectores ejusdem non observantes, nec observare facientes praescripta in cap. *Ubi periculum* 3. *de election.* in 6. ibi enim habetur expresse: *Civitas autem praedicta non solum sit interdicto supposita, sed et Pontificali dignitate privata.* 5.° Contra civitatem admittentem alienigenas ad foenerandum, cap. 1. *de usuris.* in 6.

ARTICULUS II.

Interdicta localia particularia

1.° Contra universitates et collegia exigentes juramenta illicita, vel contra libertatem ecclesiasticam. Gregor. XIII. constit. 93. incipit *Inter Apostolicas.* 2.° Contra Ecclesiam, in qua scienter sepultum fuerit cadaver haeretici, cap. *Quicumque* 2. *de hae-*

His positis observandum 1.° interdictum quodcumque locale complecti personale eorum interdictum, qui ei causam dederunt, ubicumque sint, tamquam qui

reticis. in 6. 3.° Contra Ecclesias regularium, et clericorum saecularium inducentium aliquem ad jurandum, vel promittendum eligere sepulturam in illis, vel ad non mutandam electionem jam factam, si postea de facto in eis jurantes, vel promittentes sepeliantur, cap. 1. *de sepultur.* in 6.

ARTICULUS III.

Interdicta personalia generalia

1.° Contra universitates exigentes tributa ab ecclesiasticis, c. *Quandam* 4. *de censib.* in 6. 2.° Contra universitates concedentes vel extendentes repraesalias contra ecclesiasticos; c. un. *de jurej.* in 6. 3.° Contra universitates, capitula, et collegia non servantia constitutionem Joan. XII. circa fructus beneficiorum vacantium, extravag. *Suscepti regiminis, ne Sede vacante.* 4.° Contra capitula cathedralium dimissorias infra annum a die vacationis sedis concedentia, concil. Trid. sess. 7. cap. 10. 5.° Contra universitates habitationem usurariis locantes, aut usuras publice exercere permittentes, cap. 1. *de usuris.*

ARTICULUS IV.

Interdicta personalia particularia

1.° Contra Cardinales, aliosque Ecclesiae praelatos recipientes beneficia, et pensiones cum simonia confidentiali. Pius IV const. incip. *Romanum Pontificem.* 2.° Contra Metropolitanos de non residentia suffraganeorum, et contra antiquiores Episcopos de non residentia Metropolitanorum post annum a die absentiae eorumdem, non certiorantes Pontificem intra tres menses, concil. Trident. sess. 6. cap. 1. *de Reformat.* 3.° Contra promotos ad Ecclesias cathedrales, etiamsi sint Cardinales, in Romana curia existentes intra unum mensem a die eorum promotionis, et consecrationis, itineri non se committentes ad faciendam residentiam, Urban. VIII const. 139. incip. *S. Synodus*, et concil. Trid. sess. 23. cap. 2. *de Reform.* 4.° Contra Episcopos usurpantes bona, vel fructus Ecclesiarum, aut beneficiorum vacantium cap. *Praesenti* 9. *de offic. Ordinar.* in 6. 5.° Contra Episcopos, vel Abbates alienantes bona Ecclesiae non servata forma extravag. *Ambitiosae*, *de rebus ecclesiast. non alienand.* 6.° Contra Episcopos, aliosque

personaliter sunt interdicti : secus de iis, qui conscii non sint criminis, ob quod latum illud fuerit; hi enim extra locum interdicti *possunt licite interesse divinis* (1); 2.° interdictum generale loci nonnisi ob gravem omnino communem culpam decerni posse (a);

Superiores praelatos, qui in visitatione procurationem excessivam recipiunt contra constitutionem Innocentii IV relatam in c. *Romana* 1. *de censibus* in 6. cap. *Exigit* 2. *de censibus* in 6. et Trid. sess. 24. cap. 3. *de Reform.* 7.° Contra praelatos edentes commentarios in concil. Trid. inconsulto Romano Pontifice. Pius IV const. *Confirmatoria ejusd. Concilii.* 8.° Contra eos, qui Episcopatum, Abbatiam, vel aliam ecclesiasticam dignitatem de manu Laici recipiunt, cap. *Si quis deinceps* 16. quaest. 7. 9.° Contra clericos in Sacris constitutos in crimine fornicationis perseverantes, cap. *Si qui sunt*, dist. 81. 10.° Contra Ordinarios, qui privant beneficiis commorantes in Urbe, et eos, qui illa recipiunt, extravag. 3. *de privileg.* 11.° Contra non servantes formam a jure praescriptam in ferendis censuris, cap. *Sacro* 48. *de sent. excomm.* 12.° Contra violantes interdictum locale, et contra eos, qui excommunicatos publice, vel interdictos ad divina officia, ad Sacramenta, et ad ecclesiasticam sepulturam admittunt cap. *Episcop. de privileg.* in 6. 13.° Contra eos, qui dant causam interdicto locali cap. *Si sententia* 6. *de sent. excomm.* in 6. 14.° Contra omnes Ecclesiarum saecularium rectores, et ministros recipientes onera perpetua Missarum sine licentia Ordinarii loci, ac etiam contra recipientes pecunias talium legatorum, et eas non deponentes penes personam idoneam, Urban. VIII. constit. 43. incip. *Cum saepe contingat.*

(a) Culpa communis ea est, quam communitas, aut saltem communitatis caput, ut princeps, magistratus commiserit, et cummuniter tale interdictum non nisi a Summo Pontifice infligi potest, vel ex ejus expressa licentia, c. 2. *de sponsalib.* et extravag. 2. *de sentent. excomm. inter comm.* nam est gravis poena, et aliquo modo maior ipsa excommunicatione; comprehendit enim etiam innocentes, nec tamen justitia sic offenditur, cum sic Ecclesia non spoliat proprie quemquam aliquo jure, seu re, quam a se habet, sed huic ministerium suum subtrahit, negando eidem dispensationem Sacramentorum, Officiorum, et sepulturae; quatenus id necessarium est, ut indemnem se ipsa Ecclesia

(1) *Cap. 16. de sentent. excomm. in 6.*

3.° *si sententia interdicti proferatur in clerum*, *non intelligi interdictum populum*, *nisi aliud sit expressum* (1). Pariter interdicto populo non interdicitur clerus, aut personae religiosae etiam laicae. Num vero interdicto clero religiosi interdicantur? communiter negatur, cum sit materia odiosa, et duo corpora sint diversis legibus, et statutis distincta, dummodo ex Salmaticensibus (2) interdictum non sit latum in personas omnes ecclesiasticas, vel regularis pastoralem curam, aut simile non habeat officium in illa civitate; 4.° generali interdicto non ligari Episcopos, nisi expressa eorum fiat mentio (3), nec omnes quicumque doli capaces non sunt, qui tamen sepulturae ecclesiasticae tradi non possunt; ministerio namque Sacerdotum interdictorum uti prohibentur; idem dic de peregrinis, exteris, aliisque, qui per longum etiam tempus inter interdictos commorarunt, quia non tenentur legibus, quae afficiunt personas singulares, ut sunt pars hujus populi; quales afficit interdictum personale generale; 5.° non ligare, si passim non observetur ab iis, in quorum gratiam appositum est (4); 6.° personaliter interdictos, si publice denunciati, et nominati sint, *vitandos et non toleratos* haberi: *caeteros* esse *toleratos* (5); 7.° personas extra locum interdictum existentes posse, dum alibi existunt, intercsse divinis, Sacramenta recipere, ac in loco sacro sepeli-

---

servet, et suum jus tueatur. Quod vero spectat personale interdictum, ferri non potest nisi ad delictum proprium ex DD. Nec contrarius habetur D. Th. qui dist. 18. q. 2. n. 3. expresse agit de interdicto locali. Ita tamen ut totale interdictum culpam gravem supponat quippe gravis poena, partiale culpam saltem venialem, uti ex paritate cum excommunicatione colligunt communiter DD.

(1) *Cit. c. 16.* (2) *Tract. 10. c. 6. n. IV.* (3) *C. 4. de sent. excomm. in 6.* (4) *Cap. Petistis 20. de privileg.*

(5) *Ex const. Martini V. ad evit.*

ri, dummodo ipsae non sint specialiter interdictae, nec dederint causam culpabilem interdicto; 8.° interdictum locale etiam requirere aliquam denuntiationem declaratoriam, saltem si a jure jam sit latum.

Effectus interdicti est 1.° privatio omnium divinorum officiorum (a); usus prohibitus est activus, et passivus quorumdam sacramentorum (b) adeo ut illicite

(a) Nomine officiorum veniunt quae, vel ordinem requirunt, uti Missa, vel quae sollemniter nomine Ecclesiae fiunt uti publicae preces, horae canonicae, aliaeve preces ecclesiasticae in loco specialiter deputato, et ipsa benedictio nuptiarum. At emollita hac disciplina Innocentius III responso 43. ex *de sentent. excom.* praedicationem verbi Dei permisit, tum Greg. IX c. *permittimus* 57. ex ibid. voluit *ut semel in hebdomada non pulsatis campanis, voce submissa, januis clausis, excommunicatis, et interdictis exclusis*, missa celebraretur. Denique Bonifacius VIII. in c. *Alma mater* 24. *de sent. excomm.* in 6. indulsit, ut quotidie missa, et divina officia celebrarentur, *submissa tamen voce, januis clausis excommunicatis ac interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis....* In festivitatibus Natalis Domini, Paschae, Pentecostes et Adsumptionis B. Virginis (Martinus V. festivitatem Corporis Christi, et ejus octavam, Leo X. festivitatem conceptionis adjecit) campanae pulsentur et januis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur *excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis*, etiam ad divinorum participationem, dummodo *altari nullatenus adpropriquent*, qui interdicto causam dederint. Demum permissa missae celebratione juxta communiorem DD. perceptio SS. Eucharistiae permissa intelligitur.

(b) Permittitur tamen 1.° baptismus tam parvulorum, quam adultorum etiam solemnis in loco sive generaliter, sive specialiter interdicto, etiam a persona saltem generaliter interdicta conferendus; 2.° confirmatio utpote perfectiva Sacramenti baptismi, olim cum eodem conferri solita, nisi persona recipiens vel ministrans confirmationem sit specialiter ob datam causam interdicta et necdum parti laesae satisfactionem nec cautionem praestiterit, qua tamen praestita posset etiam extra casum necessitatis non excommunicatus, vel non specialiter interdictus cum denuntiatione, eam recipere; 3.° Poenitentia in loco quomodocumque interdicto, etiam personae interdictae post praestitam tamen parti laesae satisfactionem, aut sufficientem cautionem (secus enim negando

conferatur, et suscipiatur ordo, extrema unctio, nisi morienti aliud Sacramentum administrari nequeat, item Eucharistia, nisi moribundis per modum Viatici, matrimonium cum benedictione nuptiali (1); 3.° privatio sepulturae ecclesiasticee indiscriminatim omnibus etiam illis, quibus alias sacramentorum perceptio indulta est, et hinc tempore interdicti generalis localis morientes debent in campo aliquo, vel loco non benedicto ad hoc deputato sepeliri; cessante vero interdicto, exhumari, et in loco sacro deferri possunt, si non sint specialiter interdicti, vel causam culpabilem non dederint (a). Verum excipiuntur personae ecclesiasticae gaudentes privilegio canonis, et fori, uti suut clerici, religiosi utriusque sexus, ac novitii, qui omnes, nisi personaliter sint interdicti, aut ipsi causam dederunt, in loco interdicto alias ad sepulturam deputato sepeliri possunt: in silentio tamen, et sine pulsu campanarum (b).

Effectus etiam adsunt indirecti scilicet aliquae poenae violati interdicti: etenim clerici, etiam regulares, si violent per actum ordinis interdictum personale, aut locale per celebrationem missae irregulares efficiuntur (2): privantur jure electionis activae, et passivae (3), incurrunt suspensionem ab officio, beneficio

---

foret absolutio) quae a confessario generaliter interdicto ministrari licite potest, modo non sit specialiter interdictus ac denuntiatus; quamvis hic etiam juxta probabiliorem valide absolveret, interdicto enim non spoliatur jurisdictione.

(a) Juxta probabiliorem tamen laicos sepeliri in loco sacro possunt in diebus solemnioribus, in quibus ex c. *Alma Mater* suspenditur interdictum.

(b) Si interdictum tantum personale sit, tunc solum personae interdictae non toleratae, seu nominatim denunciatae privantur sepultura sacra, nisi ante mortem dedissent signa contritionis, aut ex ipsorum vita pia transacta praesumerentur dedisse, et sic post mortem absolverentur.

(1) *C. 2. de poen. et remis. c. 43. 37. de sent. excom. c. 16. 24. eod. in 6.* (2) *C. 18. 20. de sent. excom. in 6.* (3) *Cit. c. 18.*

et jurisdictione (1). Religiosi autem etiam exempti non servantes interdictum locale, quod in Ecclesia cathedrali, vel matrice, aut Parochiali illius loci servatur, incurrunt excommunicationem (2), uti et sepelientes aliquem in loco interdicto, vel interdictum nominatim denuntiatum (3). Eandem excommunicationem et quidam Pontifici reservatam contrahunt domini temporales, qui compellunt clericum ad celebrandum in loco interdicto, necnon denuntiati interdicti, qui postquam jussi sunt, non exeunt de templo, ubi missa celebratur (4).

Interdictum ferre potest ille, qui excommunicare, et suspendere potest, ita tamen ut spectato juris rigore seclusa consuetudine contraria Episcopus solus sine judicio Capituli non possit suos clericos suspendere, aut eorum Ecclesiam interdicto subjicere juxta DD. Haec eadem potestas Legatis Apostolicis competit, aliisque jurisdictionem quasi episcopalem habentibus, uti et Capitulo, sede vacante, adjuncto sibi Vicario: praelatis tamen regularibus ex contraria praescriptione negatur potestas interdictum locale ferendi juxta DD. (a). Auferre autem pro foro externo possunt illi, qui ferre interdictum possunt, iisque superiores: pro foro interno interdictum personale potest relaxare quivis sacerdos, cui est potestas absolvendi a mortalibus, nisi interdictum sit reservatum: a reservato interdicto absolvit habens potestatem a Papa in reservata, qua praediti sunt Mendicantium Ordinum Confessarii, qui tamen tollere nequeunt interdictum locale, sive generale, sive particulare, sicut nec personale, quia ad hoc jurisdictio requiritur in foro externo.

(a) Interdictum locale, etiam requirit aliquam denuntiationem declaratoriam, saltem si a jure jam sit latum.

(1) *C. 18. de excessib. praelat.* (2) *Clem. de sent. excom.*
(3) *Clement. 1. de sepult.* (4) *Clem. 2. de sent. excom.*

CAPUT IX.

DE POENIS ECCLESIASTICIS, SIVE CANONICIS IN SPECIE.

Poena alia est medicinalis, quae propter culpam imponitur ad hoc ut per eam fidelis emendetur et a contumacia desistat; atque hujusmodi sunt censurae, de quibus jam actum est; alia est vindicativa, quae tendit ad vindictam quaeque proprie poena dicitur, e hujusmodi sunt *Cessatio a divinis*, *Depositio*, *Degradatio*, *Infamia*. De his sequentibus conclusionibus. Sit itaque.

CONCLUSIO PRIMA

Varia quaepiam de cessatione a divinis breviter perstringuntur.

Cessatio a divinis ex regulis novae disciplinae inter censuras non censetur. Est enim prohibitio ecclesiastica clericis imposita, ut in Ecclesia se abstineant ab officiis divinis, et aliquorum Sacramentorum administratione ob grave alicujus delictum ex. gr. homicidii, adulterii etc. quibus sic illa polluitur (1), cedens in gravem dehonorationem Dei, vel Ecclesiae ejusdem in contestationem moeroris (2) (a). Hinc cessatio a divinis,

(a) Haec poena vetat celebrationem officiorum divinorum ex c *Non est vobis* 11. *de sponsalib.* administrationem Sacramentorum ordinis, eucharistiae sanis, Extremae unctionis infirmis ex eodem textu, et sepulturam dare in aliquo loco, saltem cum funebri

(1) *Cap. ult. ex de consecr. Eccl.*

(2) *Cap. 11. de sponsal. c. 2. 8. de offic. ord. in 6.*

quae semper ab homine, nunquam a jure indicitur, distat ab interdicto ratione finis et modi 1.° quia cessatio a divinis directe afficit locum, seu personas in ordine ad locum, et ideo extra hunc divina a quolibet audiri et peragi possunt; tum quia ipso interdicto est quid rigorosius; ea enim durante, nec officia divina clausis januis et solemniter unquam celebrari possunt juxta probabiliorem; 2.° quia prohibitio directe non spectat delinquentem, sed clericum, et non infligitur in poenam, sed in signum doloris ob laesionem honoris divini, ut populo salutaris terror, et criminis horror incutiatur, et ut delinquens tali modo ad emendationem excitetur, et ad reparandam congrua satisfactione offensam; quod si intra mensem non sequatur, nec causa Romam delata fuerit, ipso facto cessatio a divinis desinit. Distat etiam ab eodem ratione poenae; nam clericus non fit irregularis, si violet *cessationem* praeceptam. Distat denique ratione effectus; etenim juxta probabiliorem nec clericum, nec laicum privat sepultura ecclesiastica sine solemnitate tamen exequenda.

Nemo (excepto Papa) potest efficere, ut cessatio a divinis solum inducat unum, non alterum effectum. Relaxari potest a solo imponente illam, vel ab ejus superiore, aut aequali, aut ab alio habente facultatem ab ipso imponente; et cum nulla sit in jure praescripta forma, sola voluntate relaxatur. Suspendi demum potest per adpellationem tantum, si adhuc executioni mandata non sit; sic enim jurisdictio suspenditur imponentis.

---

solemnitate. Nam absque solemnitate divinorum officiorum possunt non solum clerici, sed et laici sepeliri in coemeterio, et in Ecclesia juxta probabiliorem.

CONCLUSIO SECUNDA

Depositionis , degradationis , et infamiae poena excutitur , atque extricatur.

Depositio (a) est poena solis clericis propria , qua vel ab ordine , vel a beneficio , vel ab officio , et beneficio simul , vel totaliter ab ordine , beneficio , et officio per sententiam (*condemnatoriam* , vel si a jure sit lata , *declaratoriam* criminis) removentur in perpetuum (b). 1.° Differt a suspensione , nam haec perpetua de se non est ; 2.° non est censura , utpote non medicinalis , quapropter violans illam non fit irregularis ; 3.° differt a privatione beneficii , quae non infert inhabilitatem perpetuam ad idem , vel novum beneficium. Jure communi constat clericos delinquentes posse deponi ; at Episcopi quamvis ab hac poena non excludantur, a S. Pontifice tamen sunt judicandi. Clericorum autem judicium ad Episcopum , vel ad ejus Vicarium pertinet (1). At curandum , ut

---

(a) Apud veteres depositio videtur fuisse eadem ac degredatio. Utriusque enim nomine canones promiscue usi sunt , cum depositionis poenam statuerunt. Hinc ad eandem significandam poenam alias dixerunt *e clero deponantur* , alias *e proprio gradu degradentur*.

Disciplina vigente depositio simplex, de qua hic agitur, a degradatione distinguitur eo quod , ubi exempti fuerunt clerici in poenis civilibus ab imperio magistratuum , rei atrocium delictorum non poterant in officio contineri per simplicem depositionem; quippe qui per hanc privilegiis clericalibus non exuebantur juxta DD. Unde depositio quatenus degradationi opponitur , dicitur *simplex* depositio, et *verbalis*, degradatio vero depositio *realis* vocatur.

(b) Depositione ab ordine privatur clericus exercitio tantum ordinis , et ei servatur privilegium fori et canonis. Confer Bened. XIV. *de Syn. Dioec.* lib. 9. c. 6. ; depositione a beneficio autem ex. gr. a Parochia , dignitate etiam quoad titulum privatur , et ita ut non possit amplius obtinere nec idem , nec aliud ab illo ; depositio ab officio aufert ipsum officium , et quidem in perpetuum , et per hoc maxime differt a suspensione.

(1) *Innocent. III. c. cum ex injuncto 12. de haereticis.*

serventur saltem formae, quae in *judiciis summariis* requiruntur praesertim citatio et auditio rei.

Imponi nequit, nisi ob delicta, quae ex objecto, et circumstantiis scandalosa et atrocia sunt ex. gr. homicidium voluntarium, cum huic sit adnexa irregularitas non de facili dispensabilis, furtum Ecclesiae in gravi quantitate, adulterium, stuprum violentum, et notorius concubinatus; si post monitionem, et privationem fructuum et proventuum imo beneficiorum clericus in eo perseveret. Depositus propter crimina adulterii, et alia eo non graviora potest restitui in pristinum ab Episcopo, sed nonnisi peracta a criminoso clerico poenitentia juxta DD.

Deposito spoliato a beneficio debentur alimenta ex fructibus beneficii, ne mendicare cogatur, et licet alii negent, sunt alii, qui eidem subministranda esse docent eadem post spoliationem beneficii, ne aliena misericordia vivere cogatur.

Degradatio (a) poena gravissima est, qua clericus propter criminis atrocitatem, vel incorrigibilitatem suam solemniter, et authentice per sententiam privatur non tantum ordine, beneficio, et officio, sed etiam statu clericali, omnibus scilicet privilegiis clericalibus, ut a judice saeculari secundum leges civiles puniri, et percuti possit (b). Ita cum aliis Reiffestuel (1). Duplex distinguitur altera *verbalis*, et est qua solemniter promulgatur privationis sententia; *realis* altera seu actualis, qua executio sententiae sic latae actu

(a) Vocabulum militare erat, quo a latinis denotabatur militis in inferiorem militiam rejectio l. 3. ff. *de re militar.*

(b) Pactis specialiter conventis sub die 16 Aprilis 1834 inter Gregorium XVI et Ferdinandum II art. V sic cautum fuit: « Il Sovrano non domanderà ai Vescovi la degradazione di un ecclesiastico condannato a morte senza prima comunicar loro la sentenza di condanna, in cui devono essere riferiti tutti i documenti

(1) *De poenis num. 32.*

fit (a). Ex his facile erit colligere, quod degradatione 1.° privilegia clericalia amittuntur, 2.° quod degradatus non ad poenitentiam, ut simplex depositus damnatur, sed ut curiae saeculari tradi possit, 3.° degradantur nonnisi clerici, qui omni juris remedio, et poena canonica adhibita adhuc incorrigibiles manent, et in crimine pertinaces (1); quamvis ex consuetudine, varia crimina per jus commune, aut pontificias constitutiones degradatione vindicantur non sine contumacia reorum (b), 4.° ut facilius delicta punirentur,

del processo, che comprovano il reato. Non trovando i Vescovi osservazione a fare su tali elementi verranno, senza ritardare inutilmente il corso della giustizia, all'atto di degradazione, invocando in favore del paziente la commiserazione del Sovrano, giusta i dettami del loro istituto. Quantovolte poi ritrovassero nel processo gravi motivi in favore del condannato, li rassegneranno a sua Maestà. — I rilievi fatti dal vescovo unitamente ai documenti che ha avuti presenti, saranno d'ordine di Sua Maestà rimessi alla discussione di una commissione composta di tre Vescovi, con facoltà apostolica approvati da Sua Santità sulla proposta del Re del doppio del numero bisognevole, e di due assessori laici con voto consultivo, la quale deciderà inappellabilmente su i rilievi suddetti. — Se la commissione troverà mal fondate le ragioni addotte dal vescovo, ne avvertirà subito il medesimo perchè proceda senza altra replica, ed esitazione all'atto della degradazione, e ne farà nel tempo stesso prevenzione al Governo per sua intelligenza. Qualora poi la commissione troverà fondati i rilievi fatti dal vescovo, ne rassegnerà motivato rapporto a S. M. raccomandando il condannato alla clemenza sovrana ». Ad effectum hujus art. die 27 Maji ejusdem anni 1834 pervenit breve pontificium *Cum in tuenda*.

(a) Per degradationem verbalem actu non privatur clericus privilegio fori, et canonis, sed per realem degradationem. Degradatio verbalis fieri potest per solum Episcopum confirmatum; est enim actus jurisdictionis; realis tantum per Episcopum consecratum, quia est actus ordinis episcopalis. *Actualiter* degradatus per solum Pontificem restitui potest; *verbaliter* per Episcopum, sed non per inferiorem.

(b) Bened. XIV. *de Synod.* enumerat haec delicta.

(1) *Cap. quam non 10. ex de judiciis.*

Trid. statuit licere Episcopo, sive in verbali depositione, sive in solemni degradatione per se, vel per suum Vicarium Generalem in majores etiam clericos sine canonico Episcoporum numero procedere, adhibitis tamen eorum loco, *totidem Abbatibus usum mitrae habentibus et baculi*, *privilegio Apostolico*, *vel alioquin aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis* (a) (1).

Ritum denique degradationis idem Pontifex descripsit (b).

(a) In veteri disciplina diaconus a tribus Episcopis, presbyter a sex, Episcopus a duodecim deponendus erat cap. *Si quis* 3. et seqq. c. 15. q. 7. Bonifacius VIII. idem requisivit, et permisit *ut proprii Episcopi sententia, sine aliorum Episcoporum praesentia* sufficeret in iis *qui minores dumtaxat ordines receperunt*. Cap. *degradatio* 2. *de poenis* in 6.

(b) Cit. loc. nimirum: « Clericus igitur degradandus vestibus » sacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud in» strumentum, seu ornamentum ad ordinem suum spectans, ac » si deberet in officio suo solemniter ministrare ad Episcopi prae» sentiam adducatur: cui Episcopus publice singula, sive sint » vestes, calix, liber, seu quaevis alia, quae illi juxta morem » ordinandorum clericorum in sua ordinatione ab Episcopo fue» rint tradita seu collata, singulariter auferat, ab illo vestimen» to, seu ornamento, quod datum, vel traditum fuerat ultimo, » inchoando, et descendendo gradatim: Degradationem conti» nuet usque ad primam vestem, quae datur in collatione ton» surae: tuncque radatur caput illius, seu tondatur, ne tonsu» rae seu clericatus vestigium remaneat in eodem. Poterit autem » Episcopus in degradatione hujusmodi uti verbis aliquibus ad » terrorem, illis oppositis, quae in collatione ordinum sunt pro» lata dicendo presbytero haec, vel similia verba in remotione » planetae: auferimus tibi vestem sacerdotalem, et te honore » sacerdotali privamus: sicque in remotione reliquorum insi» gnium similibus verbis utens. In ablatione ultimi, quod in col» latione ordinum fuit primum, infrascripta, vel alio simili mo-

(1) *Sess. 13. cap. 4. de reform.*

Infamia (a) alia est *facti*, et incurritur, dum quid tale quis perpetrat, propter quod ejus bona existimatio apud viros probos, et honestos laeditur; alia *juris* et in eam offendit quis, dum perpetrat crimen aliquod, quod in jure, infamiae poena notatur; quale sunt furtum, sacrilegium, incestus, homicidium, perjurium, maleficium, veneficium, adulterium, violatio sepulchrorum (1). Qui jure civili habentur infames, etiam canonico tales censentur (2), nisi in aliquo jus illud sit correctum ab hoc.

Infames fiunt irregulares (3), a dignitatibus excluduntur et honoribus praesertim ecclesiasticis ex illa praesertim regula juris: *Infamibus non pateant portae dignitatum*; imo infamia facti privat etiam dignitate acquisita; sed requiritur sententia judicis. Electio, vel collatio beneficii facta infami infamia juris, ipso jure irrita est; si vero agatur de infamia facti, quamvis negat Garzias (4); alii tamen affirmant, quia omnis infamia irregularitatem inducit, quae praecedens beneficii collationem reddit ipsam subsequentem irritam; hanc autem sententiam in foro externo haud dubie esse veram dicit Layman; at in foro interno clectum,

---

» do pronunciet sive dicat: *Auctoritate Dei Omnipotentis Patris*, » *et Filii, et Spiritus Sancti, ac nostra tibi auferimus habitum cle-* » *ricalem, et deponimus, degradamus, spoliamus, et exuimus te* » *omni ordine, beneficio, et privilegio clericali* ».

(a) Infamia bonae famae privationem significat. Fama, seu bona existimatio est dignitatis illesae status, legibus ac moribus comprobatus l. *cognitionem* ff. *de variis* etc. Hinc non est, nisi status diminutio. Confer Suarez disp. 48. §. 1. n. 1.

(1) *Ex cap. Infames 17. cap. 6. quaest. 1. et c. Constitut. 9. c. 3. quaest. 3.*

(2) *Ex c. Omnes 2. c. 6. q. 1.*

(3) *Ex can. qui in aliquo 5. dist. 51.*

(4) *P. 7. cap. 8. num. 47.*

vel provisum, si vitae emendatione infamiam et irregularitatem amovere velit, non obligari ad resignandum (1). Ab actibus legitimis, et publicis muneribus pariter excluduntur infames ex. gr. officio judicis, advocati, accusatoris, et testis (2).

Tollitur vel per poenitentiam, si sit contracta ex crimine occulto, vel per dispensationem, si crimen sit manifestum, quae impertiri potest ab illo, qui in irregularitate dispensat quam contrahunt infames. Sic dispensati ad omnia fiunt habiles.

CAPUT X.

DE IRREGULARITATE.

CONCLUSIO PRIMA

Irregularitatis natura, species, et effectus exponuntur. Forma obtinendae dispensationis, et hujus executionis adfertur.

Irregularitas (a) est impedimentum canonicum per se, et primo impediens susceptionem ecclesiasticorum ordinum, secundario, et consequenter eorumdem usum. Hinc collige 1.° quod illa distinguitur a poena; est enim impedimentum seu incapacitas moralis orta ex aliqua indecentia, propter quam aliquis a ministerio excluditur, nec dici potest censura, quae ad resipiscentiam infligitur, et bonum ecclesia-

(a) Ad clerum promovendi omnino sine crimine et probatissimae vitae ut essent, requirebatur ex canone, qui primitus observabatur. Qui indigni, *alieni a canone* dicebantur. Deinceps *irregulares* dicti sunt, et impedimentum ad ordinationem *irregularitas* forsan primo dictum ab Innocent. III. in cap. *nisi extr. de renunc.*

(1) *L. 1. Tract. 5. part. 5. c. 4.*

(2) *Ex cap. Testes 39. c. 2. q. 7.*

sticum intenditur, quo delinquens privatur; irregularitate vero quis arcetur a susceptione ordinum, et primario dignitas sacri ministerii prae oculis habetur. Pariter ideo a depositione, et officii privatione distinguitur; quod 2.° non habet locum nisi in casibus a jure expressis, quia est impedimentum canonicum, et quidem verbis, quae vel eam diserte contineant, vel effectus ejus proprios, et praecipue inhabilitatem ad suscipiendos ordines exprimant (1) (a). Dividitur ratione effectuum in *totalem* et *partialem*. Illa habetur, cum ab omnibus ordinibus, eorumque exercitio excludit, ut est illa, quae ex homicidio nascitur. Partialis est illa; quae impedit, ne aliquis tantum ordo suscipiatur, vel ne quaedam ordinis suscepti functiones exerceantur uti est in Sacerdote coeco, qui ad missam celebrandam est irregularis, non ad confessiones excipiendas. Ratione modi alia est irregularitas ex *delicto*, quae culpam praesupponit sive propriam, sive alienam, alia, quae ex *defectu* aliquo inducitur; scilicet propter quosdam animi, vel corporis defectus, qui licet culpa vacui sint, tamen hominem ita deformant, ut non deceat ordines ab eo exerceri (b). Ratione dura-

(a) In dubio juris seu quando lex canonica ita obscura est, ut peritiores de sensu ejus ambigant, et discordent inter se, stante et perseverante tali dubio non incurritur irregularitas, quisquis tamen tenetur adhibere diligentiam, ut veritatem assequatur, et interim abstinere se ab iis, quae irregulari prohibentur, alias peccabit quidem graviter saltem extra casum, quo sine gravi incommodo non posset res differri, ut si differendo praeteriret occasio ordinum suscipiendorum juxta DD.; suscepto tamen ordine debet esse sollicitus de veritate cognoscenda, ut possit actum ejusdem exercere. In dubio autem facti, seu an posuerit actum, cui irregularitas est annexa, incurritur irregularitas, si dubium illud versatur circa homicidium.

(b) Disciplina antiqua delicta sive manifesta, sive occulta, quae

(1) *Cap. 18. Is qui de sentent. excomm.*

tionis vel *temporalis* est quae solo temporis lapsu cessare potest, vel *perpetua*.

Effectus irregularitatis sunt 1.° ut ordines nec licite nec valide recipiantur (a); 2.° Impedit et ordinum, si recepti fuerint, functiones obeundas; nam qui non potest ordines suscipere, multo minus valet eorum munia exercere (b); 3.° Si totalis sit irregularitas, et absoluta privat consecutione omnium beneficiorum, dignitatum, et praelaturae ecclesiasticae, si vero partialis sit, eorum tantum consequutione, quorum functiones irregularis effectus per seipsum exequi non

---

per publicam etiam poenitentiam expiata erant, a clero removebant. Decretalibus inducta differentia inter publica, et occulta delicta, factum est, ut ea solum delicta irregularitatem pariant, quae vel expressa in jure sint, vel infamiam inducant. Attamen ex delicto, ut incurratur, requiritur 1.° culpa mortalis quapropter quidquid a mortali excusat, ab irregularitate quoque excusat: et juxta probabiliorem nec ignorantia solius irregularitatis annexae delicto respectu violantis scienter legem ipsam non excusat; 2.° delictum externum; culpas enim mere internas non plectit Ecclesia; 3.° delictum consummatum: hinc vulnerans lethaliter hominem, si mors etiam per miraculum non sequatur, non incurrit irregularitatem, dummodo verba legis non requirant actum solum inchoatum; 4.° non requiritur ut opus sit manifestum, sed sufficit occultum; Trid. sess. 24. c. 6. *de Reform.* Denique sufficit, ut sit etiam indirecte volitum ex. gr. ex homicidio ob negligentiam incurritur irregularitas.

(a) Nomine ordinum comprehenditur etiam prima tonsura cap. ult. *de temp. ord.* in 6.

(b) Attamen quaecumque Sacramenta laico competere possunt, excepta ordinatione, uti Sacramenta sumere, sacrificanti ministrare etc. etiam clericus irregularis licite obire potest. Hinc per ordinum exercitium intellige functiones solemnes, quae sacris ordinibus ita sunt attributae, ut a laicis nullatenus possint exerceri. Functiones ordinum majorum censentur fieri solemniter, quando fiunt cum vestibus, aliisque signis ordinis propriis. Confer Suarez *de irregul.* diss. 40. assert. 4.

potest. Caeterum juxta probabiliorem collatio beneficiorum non est ipso jure irrita, sed irritanda; hinc multo minus irregularitas primum superveniens privat beneficio jam possesso, quae tamen si ex delicto sit contracta, auferri tantum debet per judicis sententiam, nisi impetretur dispensatio; amplius enim hoc in jure non est expressum, neque Trid. amplius exigit, neque aliquid praeter statutum innovare intendit. Revera privatio beneficii, effectus non est immediatus, et necessarius irregularitatis, sed connectitur effectui immediato ex prudentis judicis arbitrio, ab auctore irregularitatis requisito, ut DD. advertunt (a).

Dispensatio super irregularitate obtinenenda, et exequenda sic regitur. Quando petenda est super irregularitate incursa ob delictum occultum, in quo Episcopus non potest dispensare, sacra Poenitentiaria est adeunda. Si quis pluribus specie diversis irregularitatibus innodatus sit, in supplici libello omnes debet exprimere; secus, si essent ejusdem speciei, et rationis. Si in irregularitatem offendit quis contractam ex delicto occulto, nec posset sine scandalo, aut famae dispendio, aut gravi alio incommodo abstinere ab exercitio ordinis, curet, ut a Pontifice, velab Episcopo, quando hoc potest, citissime dispensationem impetret: interea tamen post peractam poenitentiam,

(a) Irregularitatis effectus non dicitur privatio jurisdictionis ne ordinariae quidem annexae officio, et beneficio, nam non sicut horum incapax fit irregularis, ita et jurisdictionis. Cum vero irregularitas raro privat officio jam adepto, raro privat et jurisdictione ordinaria, neque jurisdictione delegata privat; nullo etenim jure irregularis declaratur ejus incapax esse; etsi non desint qui affirmant de eo, qui per *subreptionem* vel *obreptionem* a superiore hanc facultatem obtineret.

ordinem exercere potest (a). Obtenta facultate executioni mandatur dispensatio verbis quibuscumque relaxationem exprimentibus. At exequens optime uti potest forme a Rituali R. praescripta (b).

CONCLUSIO SECUNDA

Quaenam crimina inducunt irregularitatem articulatim, et concinne declarantur.

Crimina, quibus jure novo irregularitatis nota inuritur, sequentibus articulis nostrum est hic interpretari:

Art. 1. Contrahitur irregularitas ex iteratione baptismi, nimirum qui conferunt denuo baptismum,

---

(a) Forma recursus fit ut sequitur :

Eminentissime Domine

« N. Sacerdos vel etc. (exprimatur status ipsius irregularis non tamen verum nomen ejus si occultum sit delictum, et libellus tunc dirigitur ad Card. Poenitentiarium) contraxit irregularitatem ex homicidio occulte patrato, et quia ab exercitio ordinum citra grave scandalum abstinere non potest (vel exprimatur aliud grave motivum) hinc humiliter supplicat pro remedio. Quam gratiam etc. » Eodem modo mutatis circumstantiis, recursus fieri potest ad Episcopum, si facultas sit ei super irregularitatibus ex delicto occulto dispensandi.

(b) Quae post datam absolutionem sic exprimitur. « Eadem » auctoritate dispenso tecum super irregularitate, vel irregulari- » tatibus, in quam, vel quas incurristi, et habilem reddo, et » restituo te executioni ordinum, et officiorum tuorum. In nomi- » ne Patris etc. » Si poenitens ordino sacro careat, dicendum « ha- » bilem te reddo ad omnes ordines suscipiendos » quod addat etsi nullum ordinem habeat.

vel recipiunt, et qui palam baptismi iterationi ministerium impenderint (1) evadunt irregulares (a). Art. 2. Propter ordines indebite susceptos maloque eorum usu inducitur in his, qui 1.° furtim recipiunt ordines id est, qui nec ab Episcopo approbati, nec vocati, per dolum se immiscent ordinandis (2). At haec irregularitas vetat ascensum ad superiorem ordinem, non ministrare in furtive suscepto juxta probabiliorem sententiam DD. 2.° qui ficto titulo, vel absque dimissoriis ordinantur, vel per saltum, vel qui ab Episcopo ordines suscipiunt, qui dignitati suae et executioni ordinis episcopalis jam renunciavit. Ex probabiliori DD. sententia idem dicendum de iis, qui excommunicatione majore ligati ordines suscipiunt: quamvis non desint, qui negent, et

---

(a) Irregularitati subjecti non sunt ordinis, et confirmationis sacramenta iterantes, quamvis et haec characterem imprimant; baptismatis vero iterationi imposita est irregularitas tum ad reprimendam Donatistarum, aliorumque rebaptizantium haeresim, quae diu turbavit Ecclesiam; tum quod baptismus vera sit regeneratio, et mortis Christi ex Apostolo imaginem exhibeat, cum vero homo semel generetur, et Christus semel mortuus sit patet iteratione baptismi haec funditus subverti, quod in aliis sacramentis non contingit. At offendit in eam, qui scienter et absolute rebaptizat, non autem si solum sub conditione ob dubium verum collati antecedenter baptismi; non enim intelligitur iteratum, quod nescitur, et ambigitur esse factum, ait Joan. III. imo juxta aliquos, nec si ex mera aliqua suspicione, nullo praemisso examine fit, quamvis alii, quibus favet Benedictus XIV lib. Inst. Eccl. 84. et Synod. Dioec. 1. 7. cap. 6. n. 3. id negent. Demum baptismus si suscipiatur ab haeretico denunciato vitando c. *si qui in qualibet* 10. c. 1. q. 7. vel suscipiatur differendo ipsum usque ad aegritudinem, vel periculum mortis ex c. *si quis* 1. d. 51. inducit irregularitatem.

(1) *Cap. 2. ex de Apostatis.*

(2) *C. Veniens 1. de eo qui furtive ordinem suscepit.*

potius suspensioni subjectos illos dicant (a). Quoad usum vero censetur irregularis, si quis ligatus censura solemniter, seu ex officio temere exerceat actum ordinis sacri (1). 3.° Qui usurpant, et solemniter exercent officium proprium ordinis, quem non habent (2)(b). Art. 3. Haeresis delictum inurit eadem nota haereticos (3), fautores, defensores eorum (4), et filios ipsorum in primo et secundo gradu per lineam paternam, in primo per maternam (5) (c). Idem dic *de apostatis a fide* (6). Art. 4. Ex homicidio irregularitatem incurrit is, qui voluntarie, idest, de industria, vel per insidias proximum suum occidit etiam occulte ex Trident. (7), aut vulnus lethale inflixit (d).

(a) Ex Bened. XIV *de Synod. Dioec.* lib. 12. cap. 4. num. 7. suspensus, vel interdictus ordines recipiens, irregularitatem non incurrit.

(b) Laicus solemniter baptizans, vel missam celebrans juxta plures doctores irregularitatem incurrit, quia canon cit. *si quis* absolute dicit: si quis baptizaverit.

(c) Ab his excipiendi filii, vel nepotes nati ante lapsum parentum in haeresim, vel si parentes eorum ante mortem sint conversi, et Ecclesiae incorporati, aut si haeretici sint occulti juxta probabiliorem, vel si ipsi, et filii nati sint in partibus Galliae, et Germaniae.

(d) In dubio an fuerit lethale vulnus, si mors sequantur ante 40 dies, infligens censendus irregularis est. At si lethale certo non fuit, etsi vulneratus vel ex imperitia medici, vel ejus negligentia, aut culpa et incuria obiisset, censeri irregularis non debet, c. *Exhibita* 22. *de homicid.*

(1) *Cap. Si celebrat. 10. de clerico excomm. c. 1. de sentent. et re jud. in 6. et c. 18. de sent. excomm. in 6.*

(2) *Cap. Si quis de cleric. non ordin.*

(3) *Cap. Saluberrima 21. cap. 1. q. 1.*

(4) *Cap. Quicumque 2. de haeretic.*

(5) *Ex cap. Statutum 15. de haeret.*

(6) *Presbyteros 32. dist. 50.*

(7) *Sess. XIV. cap. 7. de Reform.*

Dans operam rei licitae, qui alium inopinato interficit, sed non satis diligenter curaverit, ne quem laederet, irregularitati subjicitur (1). Sic et qui rei illicitae vacavit simul et periculosae, unde praeter ipsius intentionem accidit homicidium (a). Adhaec abortum foetus animati sive directe, sive indirecte qui procurat, aut ad id consilium, vel auxilium, aut favorem praestat (2) (b); Mutilatione inducitur etiam irregularitas in eum, qui abscindit a proximo injuste membrum proprie tale, sive id faciat phisice, sive moraliter (3); dummodo id non fiat juste per artem chirurgiae ad servandum individuum (c). Art. 5. Ex enormibus delictis, irregulares sunt sodomiae, incestum, adulterium, ra-

---

(a) Contendunt plures Theologi, et Canonistae non incurri irregularitatem propter homicidium fortuitum, si res illicita, cui operam quis dat, non fuerit periculosa, et ipse debitam adhibuerit diligentiam; hoc enim casu ajunt illud non esse voluntarium, ne in sua quidem causa.

(b) Non solum homicida, sed cooperantes ad injustam occisionem ex c. *sicut dignum* 6. *de homicid.* incurrunt irregularitatem; hinc mandans, consulens, aut alio modo cooperans ad illud irregulares evadunt. Quoad homicidium ad suam justam defensionem patratum spectat in veteri disciplina patrans irregularitatem incurrebat c. 7. d. 50. Ipse S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. a 3. *Clericus*, inquit, *etiamsi se defendendo interficiat aliquem, irregularis est, quamvis non intendat interficere, sed seipsum defendere.* Sed temporis lapsu obtinuit contraria disciplina. Clement. un. *de homicid.* Ut vero quis irregularitatem effugiat, servet necesse est inculpatae tutelae moderamen.

(c) Eandem inducit abscissio propri digiti, vel partis ejus ex ira, et indignatione: idem dic de eo qui seipsum ex zelo indiscreto, sive ad vocem musicalem conservandam castrat ex c. *Hi qui* 5. d. 55. Patientes tamen castrationem sive ignoranter, ut pueri, sive violenter a latronibus et barbaris non incurrunt irregularitatem.

(1) *Cap. Presbyterum 7. de homicid.*

(2) *Cap. Si aliquis 5. eod.*

(3) *Clem. si furiosus de homicid. et alibi.*

ptum, simoniam committentes, perjuri in judicio publici quidem, et ita declarati (1). Quibus adde comoedas, foeneratores, seditiosos, et alios hujusmodi, qui capite *Infames* enumerantur (a) (2).

Haec ex delictis irregularitas dispensatione Papae tolli potest, nisi sint delicta occulta, et non deducta ad forum contentiosum, quorum dispensatio ab Episcopis obtinetur vi concessionis sibi factae a Trid. homicidio voluntario excepto. Praelatis Regularibus eadem est potestas cum suis subditis ex privilegio S. Pii V qui pro foro conscientiae dispensant etiam in homicidio voluntario commisso ante religionis ingressum (b).

(a) Delicta non ratione sui, sed potius infamiae inducunt irregularitatem, excipe homicidium, et violationem censurae. Delicta irregularitatem inducentia versibus hisce concluduntur:

Haereticus, baptismum iterans, mutilans et homicida,
Famosus, violans censuras, unde ligatur:
Improbe suscipiens, vel tractans ordinis acta.

(b) Delictum ad forum contentiosum censetur deductum, quando judici delatum, et parti delatio fuit intimata. Occultum dicitur quod a tam paucis scitur, ut neque sit famosum, nec manifestum, nec notorium, unde potest aliqua tergiversatione celari. Si tantum a paucis cognoscatur, manet etiam occultum. Idem est ex Collet, quando non certo scitur. Rumor enim dubius etsi publicus non impedit quod factum possit celari. Utrum denique in aliqua dioecesi irregularis ex delicto migrans in aliam, ubi delictum est occultum, possit ab Episcopo loci dispensari, disputant DD. Negat Suarez *de poenit.* disp. 3. Affirmat Barbosa *de offic. Episcop.* p. 11. alleg. 39. num. 27.

(1) *Cap. ex tenore 4. de temporib. ordinat.*

(2) *Cap. 17. c. 6. q. 1.*

CONCLUSIO QUINTA

Defectus irregularitatem inducentes adferuntur, explicanturque.

Minister altaris non solum a crimine vacans, sed honestate quadam ac decenti decore commendatus sit, oportet. Hinc visum recte fuit Ecclesiae irregularitatis notam inuri ex defectu vel animae, vel corporis vel natalium, vel famae, vel sacramenti, vel lenitatis, vel libertatis, vel ex defectu aetatis, quos omnes articulatim par erit praenotare:

Art. 1. Defectus animi, quo irregularitas inducitur, triplex est, nimirum rationis, scientiae, et fidei confirmatae.

Defectu rationis irregulares constituit praeter religionem ipsa natura; quibus enim domestica, civiliaque negotia ne minima quidem committuntur, multo minus divinorum mysteriorum celebrationem committendam esse ratio dictat. Tales sunt 1.° pueri, et perpetuo amentes, 2.° lunatici, quibus etsi lucida rationis intervalla sint, eclipses tamen quasdam ejusdem habent, 3.° Energumeni furiosi, qui furoris accessu liberae non sunt mentis, 4.° epileptici ita correpti, ut interclusis sensibus exanimes cadant (1)(a). Defectu scientiae cen-

(a) Epilepticum morbum, si quis in prima infantia ante pubertatem expertus, si post pubertatem ille cessaverit, ex communi consuetudine irregularis non habetur, nam *epilepsia ante pubertatem amotionem recipit* ex aphorismo Hypocratis 28. Quibus autem post susceptos ordines supervenit ille morbus, si frequenter impetuntur, aut si exponuntur iis effectibus, qui indecentiam afferunt, ut spumas jactare, voces confusas emittere etc.

(1) *Omnes ex cap. 3. et 4. et 5. d. 53. et canon. in his litt. 1. cap. 4. quaest. 2.*

sentur irregulares; qui non pollent ea, quae ad praestandum munus jure divino requiritur (1): non vero illi, quibus scientia a Tridentino requisita pro singulis ordinibus suscipiendis deest, quia ab illo hi irregularitate non plectuntur (2). Fidei confirmatae defectus in eo est qui recenter tantum est ab infidelitate, vel ab haeresi conversus. « Non neophitum, ait Paulus, ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli (a) ».
Art. 2. Propter corporis defectum irregulares sunt, qui eam deformitatem habent, quae vel ordinis usum impediat, vel scandalum, horrorem, vel contemptum afferat (b). Tales sunt 1.° qui carent manu, indice, vel pollice, oculo sinistro, quem *canonis* dicunt, vel hi, quibus effossus fuit alteruter oculus (3); 2.° surdi utraque aure, claudi, qui sine baculo ad altare

---

tunc debeant omnino abstinere, aliter, modo praesens sit alius Sacerdos, omnino non prohibentur missam celebrare. Confer Liguori lib. 7. num. 399. Insuper notandum, quod si homines his defectibus affecti legitime fuerint ordinati, ad susceptorum ordinum functiones exercendas non prius admittuntur, quam ab anno integro sanati fuerint ex c. *communiter* dist. 33.

(a) Tempus requisitum ut sufficienter confirmata censeatur fides, videtur prudentiae Episcoporum commissum, cum nullum praefixum a jure sit.

(b) Primis quatuor saeculis hic defectus irregularitatem non inducebat, nisi ex aliquo delicto prodiisset, vel hujusmodi esset, ut functiones ecclesiasticas impediret, ideo quod plurimi in defensionem fidei corpore vitiati efficiebantur, nam indignum fuisset eos ab ordinibus arcere: verum sequentibus saeculis cum iis, qui corpore vitiati erant, illa deesset virtus, quae deformitatem vinceret, ita ut dispicatui essent, irregulares esse recte statuit Ecclesia. Videsis l. 1. Decret. *de corpore vitiatis* ex l. 3. *de clerico aegrotante.*

(1) *Cap. Illiteratus 1. d. 36.*

(3) *C. Thomas de corp. vitiatis.*

stare nequeunt (1); item gibbosi etc. qui horrorem injiciunt, 3.° leprosi, atque hi, qui a vino ita abhorrent, ut illud evomant, et qui tremulas habent manus, ut calicis effusionis sit periculum, 4.° qui sua culpa facti sunt Eunuchi (2), Hermaphrodita, sive in eo sexus alter prevalcat, sive non, juxta communem. Defectus corporis qui ordinis susceptionem praecedunt, ab omni ordine excludunt qui vero sequuntur, ab illis dumtaxat functionibus removent, quas exercere hujusmodi defectus non sinunt. Utrum vero hic, aut ille corporis defectus ejusmodi sit, ut ex eo, vel irriverentiae, vel scandali periculum afferatur, definire Episcoporum est (3). Si constet vero aliquem esse irregularem, ex constanti usu recurrendum est ad S. Sedem. Dataria solet Episcopo has dispensationes committere, ut is per seipsum considerato diligenter defectu, dispenset cum oratore, si ex defectu non proveniat tanta deformitas, quae scandalum generet in populo, aut divinis impedimentum praestet. Art. 3. Ex defectu natalium (a) irregulares sunt, quicumque ex legitimo matrimonio non sunt nati quantumvis occulti, ita ut etiam suscipientem ordinem invinciliter ignorantem se esse illegitimum urgeat, statim

(a) Prioribus saeculis incognitum fuit hoc impedimentum; non enim quo patre genitus, sed quibus virtutibus ornatus esset ordinandus, quaerebatur. Saeculo tandem XI, tum propter periculum incontinentiae, et imitationis paternae, tum propter odium paterni criminis, tum ob reprimendae quorumdam presbyterorum incontinentiae necessitatem inductum est hoc impedimentum; saeculo enim praesertim XI quo illud vitium in clero non jam clanculum, sed publice grassabatur, id sancitum fuit cap. *si gens* d. 16. et Trid. sess. 25. c. 15. *de Reform.*

(1) *Cap. Nullus Episcop. d. 2. de consecrat.*

(2) *Cap. Si quis dist. 55.*

(3) *C. Significavit de corp. vitiat.*

ac certo cognoverit, se ab usu ordinum abstinere, donec dispensetur (a). De infantibus expositis lis inter DD.

(a) Filii legitimi per l. 116. l. 201. ff. *de verborum sign.* dicuntur non tantum qui ex justis nuptiis, seu matrimonio vere, et reapso valido nati sunt, ut tenent omnes ex Tit. *Qui filii sint legitimi*; sed etiam qui ex matrimonio putative valido, ac publice procreati sint, modo una saltem pars tempore contracti matrimonii fuerit in bona fide, quia favendum est semper proli ex cap. *de natural.* lib. 1. 11. At si post bona fide contractum matrimonium, mala superveniat fides utrique parentum, tunc proles est illegitima, si concepta sit post malam utriusque fidem, et nata antequam per dispensationem fuerit sublatum impedimentum. Si vero proles jam concepta fuit ante contractum matrimonium; nata tamen post illud, dicitur legitima, si inter illos, ex quibus concepta est, sequutum sit matrimonium. Quod si proles nata sit post mortem mariti, etiam legitima est habenda, modo tempus nativitatis concordare possit cum tempore conceptionis. Hoc tempus communis sententia extendit usque ad undecimi mensis initium saltem a morte mariti, licet aliis novem menses e conceptione sit tempus ordinarium: sicut vice versa et in septimo mense post initum matrimonium edita proles habetur adhuc concepta ex marito. Jure novissimo sufficiunt centum octaginta dies, nec protrahitur ultra tercentum dies art. 234. Demum quamvis constet, quod uxor saepe commiserit adulterium, favor prolis eam dicit legitimam per l. 11. cit. nisi aliunde non sit manifestum, quod toto tempore inter conceptionem, et nativitatem ejusdem, longe fuerit maritus ab uxore utpote vel absens, aut infirmus l. 8. ff. *de his qui sui*, *vel alieni etc.* Hinc collige ex dictis conceptum, et natum a parentibus clandestine conjunctis (nisi in illis fuisset dispensatum, aut ex post facto ab Ecclesia approbatum) illegitimum esse; tunc enim mala fides in parentibus praesumitur. Nec praetereundum, quod proles semel habita legitima, non teneatur credere merae assertioni parentum etiam juratae, quod sit illegitima.

Filii *illegitimi* sunt, qui non ex justis nuptiis vere, vel putatitio validis sunt nati, sed extra matrimonium. Et hi jure canonico sunt duplicis speciei, scilicet *naturales*, *et spurii*: illi nati sunt a parentibus, inter quos matrimonium tempore conceptionis, vel nativitatis, aut saltem intermedio consistere poterat. *Spurii* sunt, qui nati a parentibus, inter quos nec conceptionis tempore, nec na-

At ferme omnes conveniunt pro dispensatione saltem Episcopi, ut quis eorum ad tonsuram et minores ordines admittatur. Ad ordines vero majores et beneficia curata, nisi positive probaverit se ex legitimo matrimonio natum, nec Episcopus dispensare potest. Cum illegitimo ordinato sive bona sive mala fide Episcopus dispensat, ut in susceptis ordinibus ministret.

Cessat iste defectus 1.° per professionem religiosam quantum ad ordines, non quantum ad praelaturam (1), quamvis intuitu religiosae professionis in ceteris constat facilius dispensationem concedi; 2.° per legitimationem, vel per matrimonium subsequens, vel per actum S. Pontificis, qui declaret relative ad ordines etc. aliquem legitimum esse habendum, 3.° per dispensationem quae ad ordines minores et ad beneficium obtinendum, cui non est adnexa cura animarum, obtineri potest ab Episcopo, *dummodo sit* (defectus) *super quo per ipsum episcopum* (alias) *dispensari*

---

tivitatis, nec intermedio validum esse poterat matrimonium, et ex damnato dicuntur coitu. Confer Layman l. 5. tom. 1. p. 3. c. 5. Jure civili illegitimi in triplici classe sunt. In prima sunt naturales, et ex soluta, sed concubina domi habita nati sunt, quia patrem certum habere censentur, donec contrarium probetur. In secunda classe sunt *spurii* dicti vulgo *quaesiti* aut *nothi*, et hi ex soluta sed se passim prostituente seu ex meretrice procreati sine patre certo sunt. In tertia classe orti ex damnata vita sunt, qui nempe ex coitu sunt procreati, quem leges civiles specialiter damnant et puniunt, uti sunt 1.° *adulteri* seu nati ex adulterio praesertim matre adultera. 2.° *Sacrilegi*, qui habent unum, vel ambos parentes voto sollemni ligatos. 3.° *Incestuosi* quorum parentes sunt consanguinei, vel affines in linea collaterali; qui enim sunt tales in linea recta *nefarii* dicuntur. Attamen DD. amplius huic discrimini inter canonicum jus, et civile non attendunt. Confer Barbosam in hunc tit. n. 16. et 17.

(1) *C. ut filii 1. de filiis presbyt.*

valeat ad ordines quoque majores (1). Quoad majores ordines ad S. Sedem recurrendum est (a). Art. 4. Ex Defectu famae etiam irregularitas oritur; *Episcopum* enim dixit Paulus (2) *oportere testimonium habere bonum etiam ab iis, qui foris sunt*: et Apostoli de instituendis diaconis cogitantes curarunt, ut eligerentur viri boni testimonii (3). Hinc canonibus sic sancitur (4): « Infames eas personas » dicimus, quae pro aliqua culpa notantur infamia, » id est, omnes.... quos ecclesiasticae vel saeculi le» ges infames pronunciant; hi omnes nec ad sacros gra» dus debent provehi (b) ». Infamiae nota quid, et quotupliciter quis ea inuritur, jam dictum (5). Restat, ut quomodo infamia tolli possit, adferatur, et primum dicimus infamiam facti tolli emendatione sceleri proportionata et publica, adeo ut deteriori famae succedat bona existimatio, quod judicandum judicio prudentum ex operibus piis, et contrariis saepe repetitis, scilicet triennio juxta aliquos. At si per sententiam judicis contracta fuerit, tollitur dispensatione, quae concedi potest tum a Papa, tum ab Episcopis, qui tamen non possunt di-

---

(a) Stylus et ipsum jus canonicum exigit, ut exprimatur in libello supplici, an illegitimus sit ex soluto et soluta, vel ex conjuncto, et soluta, vel ex presbytero c. *ad praesentiam* 2. *de filiis presbyt.* Sic legitur: *Si constiterit quod R. sit in Sacerdotio genitus, et quod pater ejus in eadem Ecclesia ministraverit, non obstantibus literis nostris, ipsum amoveas.* Videsis Trid. sess. 25. c. 15.

(b) Quantumvis aliquis testimonio propriae conscientiae sit innocens, si juridice sit damnatus, pro irregulari se gerere debet, donec vel judicis superioris sententia fuerit absolutus, vel dispensationem S. Sedis obtinuerit.

(1) *Cap. Is qui 1. eod.*
(2) *1. Tim. 3. 7.*
(3) *Act. 6. 3. can.*
(4) *Can. Infames c. 1. 6.*
(5) *Concl. 2. cap. IX. pag. 295.*

spensare in criminibus adulterio gravioribus, nec ad effectum suscipiendi ordines de novo, aut beneficia, sed in susceptis ordinibus ministrandi. Per baptismum denique infamia facti tollitur, dummodo non offendit quis in eam sententia judicis; hinc quamvis Judaeus, vel gentilis mutando locum migraret in illum, ubi delictum est ignotum, etsi mutatione loci infamia facti tollatur, maneret tamen infamis, quia in eo infamia, etsi facti, esset juridica quoad irregularitatem. Infamia *facti legalis* quae oritur ex professione cessare videtur per ipsius professionis cessationem; dummodo non fuerit artis mimicae (1) (a). Art. 5. Defectu aetatis in his reperitur, qui ante aetatem a Trid. praescriptam ordines suscipere vellent. De ea jam dictum fuit (2). At si sacris initiatus bona fide existimans se aetatem illam habere, irregularis non fit, etsi errore cognito ante aetatem legitimam debeat desistere a functionibus ordinis sic suscepti. Cessat autem irregularitas obtenta absolutione a suspensione ob receptum mala fide ordinem incursa; cessat etiam per supervenientem aetatem pro casu, quo innodatus censura suspensionis, non exercuisset functiones ordinis suscepti. Art. 6. Ex defectu Sacramenti sive *Bigamia*, idest *Signi* etiam irregularitas habetur, quia iteratae nuptiae spiritualem Christi cum Ecclesia conjunctionem perfecte exhibere non possunt (b). Quia

---

(b) Infamiam facti subdividunt DD. in infamiam facti *popularis*, et *legalis*. Haec incurritur 1.° per professionem publicam alicujus artis, quae juxta leges, et consuetudines ecclesiasticas notatur infamia, exceptis filiis eam exercentium, dummodo non sit meretricium, juxta DD. 2.° Per admissionem criminis, quod jure ecclesiastico eadem nota inuritur.

(a) Sacramentum matrimonii significat conjunctionem Christi

(1) *Cap. Maritum dist. 33.*

(2) *Volumine tertio c. 13. concl. 1. pag. 185.*

vero in hanc non offendit, qui excisus a virginitate cum pluribus se fornicarie commiscent, ideo si hic duceret virginem, non esset irregularis (1).

Haec tolli autem nequit per baptismum(2), sed solum per dispensationem, quam Summus Pentifex concedit, etiamsi sit vera (3). Episcopus nec in vera, et interpretativa potest (4) ad effectum ordines suscipiendi et ne primam quidem tonsuram (5). Potest tamen dispensare super irregularitate ex bigamia simili-

---

ad Ecclesiam, quae est unius ad unam; et ideo requiritur ad perfectam significationem sacramenti, ut vir sit tantum unius vir, et uxor unius tantum uxor; et ideo bigamia, quae hoc tollit, irregularitatem inducit, ut ait D. Thom. in dist. 27. q. 3. a. 1. Triplex distinguitur relato ad irregularitatem 1.° *Realis* cum nempe quis plures successive habuit uxores legitimas, et cum eis matrimmonium consumavit. *Nonnisi unius uxoris vir* quis ordinetur, jubet Apostolus, *vel Episcopus, Presbyter, vel Diaconus* 1. Tim. 3. v. 2. et 12. 2.° *Interpretativa*, cum quis licet unam tantum habuerit uxorem tamen eam duxit, et cognovit, quae fuit ab alio cognita, sive id noverit sive ignoret c. *Praecipimus* 1. dist. 34. Tales sunt 1.° qui viduam, aut puellam ab alio corruptam duxerunt, quia perfectam non exibent matrimonio, significationem supradictae unionis, 2.° qui propriam uxorem post adulterium ab ea commissum cognovit, 3.° qui post mortem primae uxoris, cum altera matrimonium contrahit, sed nullum, et irritum propter impedimentum aliquod dirimens, quia ait Inn. III. *quantum in ipso fuit secundam mulierem sibi matrimonialiter conjunxit. Similitudinaria* locum habet, cum quis post emissum solemne castitatis votum, aut receptos sacros ordines, matrimonium attentat. Duplex etenim censetur matrimonium inire aliud spirituale, aliud carnale, et nefandum c. *Quotquot* 24. cap. 27. q. 1. At laicus saecularis, si nuberet moniali castitatem professae, non videtur irregularis.

(1) *Ex c. quia circa 6. de bigamis non ordinand.*
(2) *Ex c. Acceleus 2. d. 26.*
(3) *Ex c. Lector 18. d. 8.*
(4) *Ex c. super c. 2. de bigamis non ord.*
(5) *Ex c. Altercationis unic. de bigam. ord. in 6.*

tudinaria (1). Art. 7. Defectus lenitatis irregulares reddit: *Discite a me, quia mitis sum*, ait Christus (2), *et humilis corde*; locum vero habet, quando quis ex *directa voluntate* licet justa in proximi mortem, aut mutilationem influxit: nempe cum effectu consumato (a). Art. 8. Defectu libertatis sunt irregulares 1.°

(a) ***Directa voluntate*** sive phisice, sive moraliter, ut mandans, consulens etc. nunquam tamen ob inculpatam inadvertentiam, nec coactus ad repellendum injustum adgressorem, servato moderamine inculpatae tutelae Clement. *Si furiosus de homicid.* Ad servanda bona fortunae num pariter qui occideret, incurrat, vel non irregularitatem, negant probabilius DD. contradicentibus aliis, adhuc etenim lis vertitur, num aliquando licite illud fieri possit. Sic ad servandam vitam proximi occisor injusti invasoris num incurrat an non, nec facile dixeris; et litigium adhuc vertitur. Medici, et Chirurgi autem qui secundum artis suae regulas operantur ad totius corporis conservationem, et membrum incidunt vel amputant, non sunt irregulares. Si tamen culpa ipsorum, vel imperitia aeger pereat, eis imputatur homicidium, et irregularitatem ex delicto subeunt. Milites, qui certi sunt se nulli *directe* mortem intulisse nec sunt irregulares, secus si sciant, aut dubitent *positive*, an id egerint, ex cap. *Petitio* 24. *de homicid.* Hinc colligunt DD. quidquid sentiant aliqui, eos, qui non per se et immediate occidunt, sed tantum voce, opere, adhortatione pugnantes in *bello justo* juvant, arma praebeant, non esse irregulares, nisi ad aliquem dirigerent hominem occidendum. Confer Pontas cas. 63. Quantum ad eos, qui in ordine judiciario positive concurrunt ad mortem, vel mutilationem, nulli dubium quod in irregularitatem incidant, etsi Gallicani DD. dissentiant in iis defeniendis, qui id agere censeantur. Solus Summus Pontifex super hac irregularitate dispensat.

Demum qui deliberate concurrunt ad accelerationem mortis effectu secuto, irregularitatem incurrere constat; hinc aliqui tenent saltem periculo incurrendae irregularitatis se exponere illos qui etsi misericordi animo carnificem hortantur, ut ad furcam condamnatum citius interficiat; magnae enim imprudentiae, ait Natalis Alexander, eosdem esse reos et in dubio a suis functionibus abstinere, et a summo Pontifice dispensationem petere debent.

(1) *Ex c. sane 4. de cleric. conjug.*

(2) *Matth. 11. 28.*

servi proprie dicti (1), qui amplius non sunt apud nos (a), 2.° Conjugati (2) nisi ab uxore continentiam profitente fuerint absoluti (3). 3.° Curiales seu illi, qui obligati sunt curiis Principum saecularium, quandiu functionibus suis sunt dediti; ut judices, milites etc. (4). 4.° Qui ex officio implicantur negotiis saecularibus, et aliorum negotiorum curam agunt, ideoque ad redditionem rationum tenentur, qui non ordinari possunt, nisi redditis rationibus et sua ipsorum obligatione deposita (5) (b).

---

secus qui infirmum vertendo de latere ad latus, transferendo, de uno ad alium lectum, aquam praebendo etc.; hi enim actus non defectum lenitatis, sed actum caritatis exhibent, qui ex se ad accelerationem non refertur mortis.

(a) Hanc definivit irregularitatem Ecclesia toto titulo *de servis non ord.*; ecclesiasticum enim statum ejusque decentiam dedecet servitutis humilitas.

(b) Tutores suorum agnatorum, administratores rerum ecclesiasticarum, pupillorum, viduarum et aliarum miserabilium personarum, quae indigeant ecclesiastico adjutorio, hac irregularitate non plectuntur ex Glossa in cit. cap. *Magnus* ad verba *ratiocinia*. Hinc ex can. *Pervenit* 26. d. 86. clerici exercere illud munus possunt.

(1) *Can. 1. dist. 54.*

(2) *Ex c. conjugatus 6. de convers. conjug.*

(3) *Ex c. nullus 4. de temp. ord.*

(4) *Ex c. Designata d. 51.*

(5) *Ex Magnus Episcop. 1. de obligatis ad ratio. etc.*

CAPUT ULTIMUM.

DE VERBORUM SIGNIFICATIONE, ET REGULIS JURIS.

CONCLUSIO PRIMA

Regulae traduntur, quibus verba dubia accipienda sint.

Legislatorum mentem, atque legum sensum intelligat jurisperitus, opus est. Hoc genuina vocum significatione, et intelligentia maxime obtinetur. Hinc summus circa proprietatem verborum semper labor fuit ipsis jurisperitis, ut Quintilianus advertit (1): nec ipsum jus civile et canonicum huic defuit operi titulo distincto quem non absre, nostra refert interpretari sequentibus regulis, quas ex Barbosa, Reiffestuel, aliisque exhibemus.

1.° Verba accipieda sunt juxta mentem (a), et intentionem proferentis (b), quae si non constet, accipiantur, opus est, ea secundum communem usum, etsi strictae interpretationis sit materia; dummodo non sequeretur absurdum, vel dispositio redderetur inutilis, vel subjecta materia, aut antecedentia, et consequentia id non paterentur (2).

(a) Mens vero vel ex ratione adjuncta, vel ex verborum propria significatione, quam ex instituto habent, aut ex communi peritorum usu, et acceptione colligi fas est c. 2. *de translat Episcop.* cap. 12.

(b) *Verba intentioni, non intentio verbis deservire debet acceptum: effatum cit.*

(1) *Orat. l. 5. cap. ult. in fin.*

(2) *L. 6. pr. ff. de legat. et 7. ff. de R. I.*

2.° Verba dubia ita sunt interpretanda 1.° ut quam maxime menti dicentis aliunde cognitae respondeant, 2.° ut evitetur peccatum et damnum tertii, contradictio, vel juris correctio (1), 3.° ut ei materiae subjectae, vel personis, circa quas dicta sunt, consonent (2); praecedentibus, ac sequentibus respondeant (3), 4.° ut inutilia potius sint, vel improprie recipiantur; quam ut absurdum, peccatum, praejudicium tertii, vel aliquid dicant ultra limites subjectae materiae, et ut actus valeat potius, quam pereat (4). In legibus praesertim ac contractibus contra proferentem potius, quam pro illo sumantur, servata tamen, quantum fieri potest, aequalitate inter contrahentes: haec tamen regula in judicialibus non procedit.

3.° Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, quia verba generalia generaliter accipienda, et omnes species ad omnia sub genere contenta regulariter extendendae sunt (5), nisi adsit causa constringendi ex. gr. si generalis dispositio fundetur in ratione speciali, eaque expressa, quae tamen ad omnes non se extendit species, si subjecta materia non patiatur generalem intellectum, si absurdum, iniquum, praejudicium tertii sequeretur ex illimitato intellectu. Item non debet extendi ad graviora expressis in jure (6). Nec ad illa quae de jure, vel consuetudine postulent expressam mentionem (7).

---

(1) *Cap. 29. de elect. in 6.*
(2) *Cap. 25. de jurejur.*
(3) *L. 50. in fin. ff. de legat.*
(4) *L. 80. ff. de V. O.*
(5) *L. 1. ff. de legat. prest.*
(6) *C. 15. de rescript.*
(7) *Cap. 4. 5. de procurat. in 6.*

4.° Verba geminata plus operantur, quam simplicia, quia majore studio, et deliberatione dicta praesumuntur (1).

5.° Verba narrativa per se dispositionem non inducunt nec probant (2). Excipe in instrumentis antiquis et ab immemorabili confectis; si sint narrata et firmata juramento, aut geminata; si per modum causae finalis sint prolata; vel contra proferentem narrata, et eum qui ea passus est inseri in instrumento, si favore dotis et causae piae sint narrata juxta DD.

CONCLUSIO SECUNDA

De regulis juris.

Disciplina quaevis et ars habet regulas, quibus institutiones suas, et doctrinas paucis complectatur verbis. Juris igitur nec immerito, et regulae sunt sive breves sententiae, axiomata et propositiones generales ex legibus, et canonibus deductae, quae serviunt veluti quaedam generalia principia ad causas rite definiendas generalibus proposita verbis, brevique sententia. Juxta Paulum I. C. (3) regulam dices: *quae rem, quae est*, breviter narrat (a), nimirum propositio generalis quae de variis rebus eandem rationem habentibus, jus diversis legibus vel canonibus constitutum brevibus proponit verbis ac demonstrat (b).

(a) Per rem intellige jus de variis rebus eodem modo se habentibus constitutum.

(b) Sic ex. gr. unus canon excludit infames a praelaturis et beficiis, alius a magistratu, tertius ab officio judicis, quartus a mu-

(1) *L. 52. ff. ad S. C. Trabell.*

(2) *Cap. 10. de privileg. in 6.*

(3) *L. 1. ff. de R. I.*

Regulae jus non constituunt novum, sed jam constitutum supponunt. Hinc prima regula in Digestis est: *Non ex regula jus sumitur, sed ex jure, quod est, regula sumitur*; proin sine notitia juris, sensus, vis, et veritas earumdem, satis perfecte intelligi non possunt. Dividuntur communiter in *authenticas*, seu legales, et doctrinales, seu propositiones a jurisperitis instar principii tantum receptas ex. gr. *Non plus præscriptum quam receptum. Spoliatus est ante omnia restituendus.*

Igitur de regulis authenticis haec tenenda: 1.° casus emergentes, qui a jure speciatim, et expresse non sunt decisi, quia tales, per similia decidendi sunt, cum similium idem sit judicium (1). 2.° In dubio potior seu melior est causa pro quo regula stat; hanc enim qui habet pro se, tantum intentionem in jure fundatam habet, ut liberetur ab onere probandi (2). Sed certum jus, nisi adversarius illud, de quo est quaestio, doceat, non comprehenditnr sub regula (3).

Revera *nulla regula sine exceptione*. Equidem etsi propositio sit generalis, non de omnibus semper sub se comprehensis verificatur; generalis enim est non sensu absoluto, sed in accomodo; eo vel magis cum plurimae possint circumstantiae emergere circa factum vel intervenire, propter quas veritatem facti ipsius, et circumstantiarum variari et jus necesse est. Vicissim *exceptio firmat regulam*, si casus in quaestione non exceptus probetur.

---

nere advocati etc. jam omnia haec jura paucis complectitur verbis regula 87. in 6. *Infamibus portae non patent dignitatum.*

(1) *L. 12. ff. de L. etc.*

(2) *Arg. c. 2. de rest. spoliat. in 6.*

(3) *L. 5. ff. de prob.*

Duobus modis male allegari possunt regulae juris 1.° si extendantur praeter jura, circa quae regula versatur, praeter materiam nempe ad quem jura, ex quibus est regula, referuntur, 2.° si ita regula adducatur, ut ad temporis, et personarum circumstantias non attendatur.

His sic praenotatis nostra refert undecim in Decretalibus regulas expressas, et in sexto octaginta octo adferre eo ordine quo sunt descriptae. Legistis missas omnino facimus, quae ducentae undecim in Digestis continentur.

REGULAE JURIS A GREGORIO IX PROPOSITAE.

Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur (1).

2. *Facta, quae dubium est, quo animo fiant, in melierom partem interpretamur* (2).

3. *Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur* (3).

4. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum* (4).

---

(1) In contractibus maxime et obligationibus civilibus locum haec regula habet. Imo et in obligationibus temporalibus ea fallit, si accedat vel natura sua vel institutione vinculum aliud fortius. Ceterum nec negatur obligationes etiam aliis, quam quibus inductae sunt modis, dissolvi posse, puta reali solutione, morte etc.

(2) Quilibet enim jus ad bonam famam habet, donec saltem probabili judicio alicujus criminis reus appareat. Ceterum sufficit aliena facta solum negative in meliorem partem interpretari, id est, non male interpretando, sed suspendendo judicium.

(3) Etenim non sunt facienda mala, ut veniant bona.

(4) Sensus est: extrema vel gravi necessitate morali urgente, saepe licitae, et honestae sunt actiones, et omissiones, quae

5. *Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere* (5).

6. *In ipso causae initio non est a quaestionibus inchoandum* (6).

7. *Quidquid in sacratis Deo rebus, et Episcopis injuste agitur, pro Sacrilegio reputatur, quia sacra sunt, et a quovis violari non debent.*

8. *Qui ex timore praeceptum facit, aliter, quam debet, facit: et ideo jam non facit* (7).

9. *Defleat peccator, quia offendens in uno factus est omnium reus.*

10. *Non potest esse justa pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et Pastor nescit* (8).

11. *Indignum est, et ab Ecclesiae Romanae constitutione alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur* (9).

---

positiva lege humana, et aliquando divina prohibitae sunt; nam ipse Deus ordinarie se accomodat humanae imbecillitati. S. Thom. 1. 2. q. 100. a. 8.

(5) Ratio est, quia aequum est fraude et dolo circumventis, aut injusto metu vel alio modo laesis subveniri, et sicut malitia et dolus nemini patrocinari debent, ita et de sua bonitate et justitia nemo debet damnum reportare.

(6) Nomine quaestionis hic intelligitur *tortura*.

(7) Etenim id cum peccato facit et sine ullo merito facit.

(8) Ignorantiae enim grassae et culpabilis reus est.

(9) Homagium hic stricte sumitur, vi cujus fit aliquis vassallus.

1. *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri* (1).

2. *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.*

3. *Sine possessione praescriptio non procedit.*

4. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*

5. *Peccati venia non datur nisi correcto* (2).

6. *Nemo potest ad impossibilia obligari* (3).

7. *Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.*

8. *Semel malus semper praesumitur esse malus* (4).

9. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.*

10. *Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari.*

11. *Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori* (5).

12. *In judiciis non est acceptio personarum habenda.*

---

(1) Nomine canonicae institutionis omnes intelliguntur modi, quibus ejusmodi beneficia obtinentur.

(2) Correctionis nomine hic poenitentia, non punitio venit.

(3) Ut sit universalis haec regula, intelligenda est de impossibili de facto, et de jure.

(4) Intellige in eodem genere criminis.

(5) Etenim actor sponte in judicium ac paratus venit, actor impetit; aequitatis vero est quod ei favendum magis, qui invitus et se tuendi necessitate in judicio versatur. Demum humanius est absolvere quam damnare. Hoc tamen observa quod haec regula procedit tantum in decisione causae; nam in hujus medio pariter actor et reus procedunt, imo fallit ipsa in causis piis, et magis favorabilibus.

13. *Ignorantia facti , non juris excusat* (6).

14. *Cum quis in jus succedit alterius , justam ignorantiae causam censetur habere* (7).

15. *Odia restringi , et favores convenit ampliari* (8).

16. *Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum.*

17. *Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum.*

18. *Non firmatur tractu temporis , quod de Jure ab initio non subsistit* (9).

19. *Non est sine culpa , qui rei , quae ad eum non pertinet , se immiscet* (10).

20. *Nullus pluribus uti defensionibns prohibetur.*

21. *Quod semel placuit , amplius displicere non potest* (11).

---

(6) Procedit haec regula de foro externo , et secundum hujus praesumptiones ; imo nec si sermo sit de facto proprio; siquidem proprii facti ignorantia veniam non meretur c. 41. *de rescript.* nisi sit antiquum vel intricatum , vel ipse multis sit implicatus negotiis.

(7) Obesse enim non debet ei , si id , quod a praedecessore suo factum est , ignoret.

(8) Sensus est: privilegia aliaeque concessiones gratiosae , sine tamen temporis determinatione factae , perpetuae sunt , ita ut si privilegium sit personale, duret ad vitam privilegiati, si reale etiam ultra extendatur, nec absque justa causa, eaque gravi valeat auferri ex cap. 36. *de praeb.* in 6.

(9) Non enim tempus est modus inducendae obligationis , vel tollendae l. 44. ff. *de A. et O.*

(10) Puta : qui se immiscet rei alienae, in qua nihil juris habet, aut negotio ad ipsum ratione status , vel imperitiae non convenienti.

(11) Nihil namque tam congruum humanae fidei , quam servare ea , quae inter aliquos placuerunt l. 1. ff. *de pactis*

22. *Non debet aliquis alterius odio praegravari* (12).

23. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*

24. *Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse* (13).

25. *Mora sua cuilibet est nociva* (14).

26. *Ea, quae fiunt a judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.*

27. *Scienti, et consentienti non fit injuria, neque dolus.*

28. *Quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentia sunt trahenda* (15).

29. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*

30. *In obscuris minimum est sequendum* (16).

31. *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet* (17).

32. *Non licet actori, quod reo licitum non existit* (18).

---

(12) Quae enim justitia; quod innocentiae praesidium, si alius ex facto alterius conveniatur, aut puniatur.

(13) Subintellige nisi justa causa sit non parendi ex. gr. si judicis mandatum juri naturali, aut divino adversetur.

(14) Per moram intellige culpabilem, et damnosam dilationem dandi vel faciendi eo tempore, quo quis debet ac potest.

(15) Sensus est: legales aliaeque dispositiones communi juri derogantes in consequentiam non sunt extendendae sive ad personas et casus non expressos.

(16) Obscura nempe quorum sensus omnibus rite consideratis adhuc dubius et incertus manet.

(17) Dummodo ex juris dispositione ad actus formam, sive ad ejus justitiam, valorem, aut firmitatem non exigatur.

(18) Etenim juris naturae est alterum non laedere, jus suum cuique tribuere.

*

33. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.*

34. *Generi per speciem derogatur* (19).

35. *Plus semper in se continet quod est minus.*

36. *Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere* (20).

37. *Utile non debet per inutile vitiare* (21).

38. *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare* (22).

39. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quae sequuntur ex illo.*

40. *Pluralis locutio duorum numero est contenta.*

41. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.*

42. *Accessorium naturam sequi congruit principalis* (23).

43. *Qui tacet, consentire videtur* (24).

---

(19) Per τῳ genus Juristae intelligunt id quod magis patet sive plures species, sive plura ejusdem speciei individua sub se contineat; per species vero intelligunt illud, quod respective minus late patet.

Sensus est : quando duae dispositiones sunt contrariae, specialis generali derogat quoad id, in quo ei contraria est.

(20) Quia pro possessore dolus est qui nemini sicut fraus patrocinari debet.

(21) Valet haec regula, quando actus divisionem, et utilis ab inutili discrimen patiuntur.

(22) Etenim qui aliquid impugnat, censetur illud pro injusto, aut invalido habero, atque juri, si quod sibi ex eo competebat, renunciare ; ad id autem quod quis renunciandum putavit, reditus ei a jure negatur c. 19. *de censib.*

(23) Modo accessorium ex se, vel legis dispositione, aut voluntate hominis sit inseparabiliter conjunctum principali, neque alia ratio, quam principalis, neque accessorium sit ita arduum, ut principale concedens verosimiliter de accessorio non cogitarit.

(24) Sensus est : qui tacet in dubio non dissentire praesumitur,

44. *Is, qui tacet, non fatetur: sed nec utique negare videtur* (25).

45. *Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.*

46. *Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.*

47. *Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur* (26).

48. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria aut jactura.*

49. *In poenis benignior est interpretatio facienda.*

50. *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem* (27).

51. *Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum.*

52. *Non praestat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum* (28).

53. *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus* (29).

---

dummodo res in se aequaliter dubia, et in contrarium non appareat conjectura, ut ex c. 3. *de praesumpt.*

(25) Quia interrogationem inter et affirmationem medium est silentium; consentire autem in dubio videtur tacens, et non confiteri aut negare praesumitur, quia consensus est actus voluntatis adquiescentis: confessio et negatio consistunt in assertione falsi, aut veri.

(26) Intellige de ignorantia facti.

(27) Actus legitimus hac in regula pro eo accipitur, qui vel ex natura sua, vel ex speciali juris dispositione conditionis, vel dici adjectionem non admittit, et si adjiciatur, vitiatur, vel irritatur.

(28) Quod de jure non fit, nullum est proinde non sortitur effectum excepto matrimonio rato, modo nullum non fuit defectu consensus; illud enim inducit impedimentum publicae honestatis.

(29) Intellige, si utrumque sit ejusdem ordinis, et pro utroque stet eadem ratio, nec obstet specialis de altero dispositio.

54. *Qui prior est tempore, potior est jure.*

55. *Qui sentit onus, sentire debet commodum et e contra* (30).

56. *In re communi potior est conditio prohibentis* (31).

57. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda* (32).

58. *Non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum.*

59. *Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem* (33).

60. *Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.*

61. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.*

62. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.*

63. *Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri* (34).

---

(30) Excipe; nisi onus ex sua institutione, vel juris specialis dispositione alicui officio sine commodo sit annexum ex. gr. sede vacante jurisdictionem episcopalem habet capitulum, quin percipiat fructus ex ea provenientes.

(31) *Res communis* idest indivisa ad duos vel plures non ut universos, sed ut singulos pertinet. Hinc cum de ea decernendum sit aliquid, praevalent inter dissidentes de eadem, qui id prohibent, etiamsi unus esset. Excipe ea quae alterius jus non laedunt; si socius utatur re communi ad usum destinatum; vel ad eam conservandam urgente necessitate.

(32) Sensus est: Pactionum, legum etc. verba dubia interpretanda sunt contra proferentem ad alterum obligandum l. 39. ff. *de pactis*. Proferens autem censetur etiam is cujus favore dicta, vel scripta sunt ab alio.

(33) Quod enim mox restitui debet, nullam justam habet causam, proin abesse bona fides praesumitur.

(34) Per hoc enim non confitetur intentionem adversarii.

64. *Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi* (35).

65. *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis.*

66. *Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset* (36).

67. *Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.*

68. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.*

69. *In malis promissis fidem non expedit observari* (37).

70. *In alternativis electoris* (debitoris) *est electio, et sufficit alterum adimpleri.*

71. *Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.*

72. *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum.*

73. *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari* (38).

---

(35) In iis scilicet, quae habent clausulam irritantem, aut certam formam actui praescribentem.

(36) Etenim legum conditores ad impossibile non obligant.

(37) Hoc est: vi, dolo vel alio modo peccaminoso obtentis expedit datam fidem non observari; sed exceptione promissionem, vel alio modo rescindi.

(38) Sensus est: Si contractus, aut alius actus stabilem obligationem inducens semel valide gestus et consumatus est, atque ab agentis libera voluntate amplius non pendet, retractari ab eo non potest, quamvis superveniat casus, seu circumstantiae, quae, si antecessissent, talis actus inchoari non potuisset, dummodo actus legitime gesti effectus impossibilis non reddatur.

74. *Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.*

75. *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat* (39).

76. *Delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare* (40).

77. *Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.*

78. *In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa* (41).

79. *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.*

80. *In toto partem non est dubium contineri.*

81. *In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verosimiliter in specie concessurus.*

82. *Qui contra jura mercatur, bonam fidem praesumitur non habere* (42).

83. *Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.*

84. *Cum quid una via prohibetur alicui, ad id aliae non debent admitti.*

---

(39) Omni enim contractui inest haec conditio: si fidem datam alter servarit.

(40) Etenim Ecclesia jura minoris, aut pupilli semper servari debet illaesa c. 1. *de in integr. rest.* Praeterea nemo alterius odio praegravari debet, aut pati iniquam conditionem, et praesertim Ecclesia, cujus administratores meliorem, non deteriorem facere conditionem debent c. 2. *de donat.*

(41) Concedens enim ultra propositae necessitatis casum non intendit.

(42) Excipiuntur personae, in quibus juris ignorantia toleratur, uti rustici etc.

85. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur* (43).

86. *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.*

87. *Infamibus portae non pateant dignitatum.*

(88). *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem* (44).

Haec et quaecunque hactenus scripsi sint ad Dei O. M. laudem et gloriam. Si aliqua in re erravi, veniam peto, atque errata retractare non dubito. Omnia vero judicio Apostolicae Sedis veritatis magistrae corrigenda demisse submitto.

FINIS IV ET ULTIMI TOMI.

(43) Intellige de iis quae contractum substantiae accedunt.
(44) Leges enim non in verbis, sed sensu consistunt.

Pag. 292 adde de communione laica sequentem notam quam, ut gravioribus locus daretur, de illa jam praelo commissa delere coacti sumus :

Clerici perpetuo depositi ex antiqua disciplina deinceps *communionem laicam* tantum recipiebant. Confer Albasp. observat. l. 1. 4. At quae fuerit communio laica, adhuc lis inter DD. Bellarminus *de eucharist.* l. 5. c. 24. docet fuisse communionem sub una tantum specie. Alii clericos ad laicam communionem redactos dicunt, quod depositi sacram eucharistiam non in sanctuario, sed extra cancellos inter laicos perciperent. Bona, Albasp., et alii censent clericos depositos ad illam redactos quod deinceps tamquam veri laici cum Ecclesia communicarent, nullius juris, aut functionis clericalis participes, quo sensu communio laica opponebatur communioni ecclesiasticae stricte dictae. Clerici depositi vestem clericalem cum laica commutabant: tonsuram deponebant, non tamen tamquam ethnici, et publicani ejiciebantur. Sed ubi a degradatione depositio distincta fuit, non haec, sed potius degradatio ad statum laicorum redegit.

Tom. 3.° pag. 337 nota (a) — *Adde* — Attamen ipse laud. Pontifex ex scholarum sententia hoc refert; ipso autem n.° 48. ibid. contrarium sentit.

ELENCHUS

CAPITUM ET CONCLUSIONUM QUAE HOC QUARTO ET ULTIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

LIBER PRIMUS.

DE JUDICIIS.

LIBER ALTER.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 5. *vers.* 22. Religandi - *lege* Relegandi. — *pag.* 7. *v.* 33. Theodas - Theodos — *pag.* 10. *v.* 16. quem - qui — *pag.* 13. *v.* 16. nuncupata - nuncupata — *pag.* 16. *v.* 29. debet - debeat — *pag.* 23. *v.* 23. excomunicare - excommunicare — *pag. ibi v.* 25. excomnnicatus - excommunicatus — *pag.* 45. *v.* 2. expedi - expediri — *pag.* 57. *v.* 2. datas - datns — *pag.* 60. *v.* 12. Instrumentornm - instrumentorum — *pag.* 65. *v.* 17. vocator - vocatur — *pag.* 83. *v.* 16. excepi - excipi — *pag.* 88. *v.* 15. extinquantur - extinguantnr — *pag.* 89. *v.* 5. extinquitur - cxtinguitur — *pag.* 91. *v.* 3. quaduplex - quadruplex — *pag. ibi v.* 30. praescribuuntur - praescribuntnr — *pag.* 142. *v.* 25. Arcopagitas - Arcopagitus — *pag.* 151. *v.* 5. consuetodo - consuetudo — *pag.* 157. *v.* 28. qaem - quem — *pag.* 160. *v.* 21. appellatam - appellatum — *pag. ibi v.* 26. juccx - judex — *pag.* 164. *v.* 19. Episcopelem - Episcopalem — *pag.* 166. *v.* 16. Deutr. - Deutor. — *pag.* 239. *v.* 8. emendationnm - emendationem — *pag.* 232. *v.* 23. rcstringendo - restringenda — *pag. ibi v.* 25. perte - parte — *pag.* 234. *v.* 30. deffinitores - definitores — *pag.* 20. *v.* 3. sons sonos.